


Memoir des Amiti…

P. J. Voyel…

LIBELLUS

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE

JOANNE GODOFREDO RADEMACHER.

COLONIAE,

apud Keil, MDCCCVI.

PRAEFATIO.

JAM pridem est, ex quo hunc libellum auspicatus sum, et annus fere integer elapsus, ex quo eum absolvi: animadvertens enim bonam partem medicorum dialecticam velitationem observationibus longe antehabere; iure eum edere distuli, ne a sapientiae professoribus brutae empirices accusarer. Cum vero hac tempestate ista rei medicinalis iniquitas quodammodo diluta videatur; expertissimis collegis meas animadversiones proponere ausim, persuasus, medicinae rationalis pomoeria fidis observationibus potius, quam disputatione et argutiis prolatari.

An novi quidquam proposuerim, difficile est dictu. Magnam saltem operam et diligentiam impendi, ut morbi curationem, praesertim opii adhibitionem, non umbratiliter, quemadmodum id varii scriptores fecere, sed curate, pro virili graphice omnibusque subiunctis cautelis explanarem. Si vero quis interroget, quale systema, qualemve theoriam potissimum secutus sim, huic respondeo me id prorsus nescire. Mea quidem

cogitata observationibus passim interposui, quisque tamen pro eruditione vel ingenuitate sua, aliam et aliam sibi fingat explicationem. Medicinae theoriam, ex quo ego hanc artem profiteor, perinde ac vestium synthesin criniumque oppexum quotannis mutatam vidi, qua propter existimo, rem aeque variabilem, fluxam, hypothesibus superstructam in curandis morbis magni vix esse momenti.

Inter medicinae scriptores quandoque etiam consuevit opiniones aliorum, qui de eadem materia olim scripserunt, non diiudicare solum, sed et contemnere quoque, novissimoque libro hac ratione languidum splendorem adsciscere. Ego autem ab omni alienarum opinionum discussione abstinui, et eo libentius quidem, quod persuasissimum mihi est, librum argumenti serii frivola tali disputatione non solum non decorari sed temerari potius.

At credo vos lectores mirari, quid sit, quod, cum tot summi viri, doctrina et ingenio conspicui vernacula lingua utantur, ego potissimum latine scripserim. Non est profecto infrunita prisci moris affectatio, quod Romana lingua utor; sed oppidum, ubi habito, in extremis

Galliae finibus situm. tribus tantum milliaribus gallicis a Germania distat, et vix totidem a Batavorum republica. Nomine quidem sumus Galli, respectu vero linguae et consuetudinum neque Galli sumus, neque Batavi, neque Germani. Auspicando proinde hunc libellum nequidem certo mihi constabat, cui nationi eum destinarem, atque in hac incertitudine tutissimum videbatur Romana lingua uti, quippe quae omnibus medicis omnium nationum familiaris.

Nova artis vocabula in Germania vulgatissima, quantum id fieri potuit, evitavi. Cum enim in hoc libro novissimam medicinalem theoriam non secutus sim, consultius quoque videbatur ab eiusdem theoriae vocabulis religiose abstinere.

Vir gravis et honestus, more virorum decore vestitus, in forum proditurus si caliendrum capiti imponat, inauribus exornet aures, collumque monili cingat: — risum teneatis lectores? Ecce! similis conditio scriptoris, neque philosophiam neque novissimam medicinalem theoriam profitentis, quem vocabula tamen philosophis medicisque philosophantibus propria aucupari, suamque empiricen pannis hisce purpureis ornare iuvat. Empirice rationalis nunquam fuit

contemta; siquidem ex scriptorum ante nos florentium cohorte boni observatores instar siderum tenebrosae noctis internitent: quare proinde rem seriam et honestam alienis quisquiliis turparim? —

Aliud est dicendi genus philosophantibus medicis, aliud experientiae potissimum fidentibus. Philosophantium cogitata parum vulgaria, vulgaribus verbis exprimi nequeunt; hanc ob causam neque eorum dicendi genus parum usitatum neque vocabula nova sunt improbanda. Sed improbanda sunt meritoque ridenda, si ad decorandas res vulgares, sana ratione expiscandas, temere adhibentur; eo enim oriuntur ambiguitates, et sciti duntaxat non est hominis, rem vulgarem, communi intelligentiae facile accommodandam de industria obscure facere.

Si fortasse in hoc erro, nolite id succensere lectores! recordemini potius, quoties in Germania ex insueto dicendi genere ortae sint lites, quoties eximiorum virorum scripta propter eandem rationem male sint interpretata, quoties ipsi auctores fastidiosissimis conviciis lacerati.

Scripsi Gochae in parte Galliae Roerali
die 16 *Julii* 1805.

PRAEMONITUM.

De dysenteria multi scripserunt. Sunt, qui imaginationis commenta litteris mandarunt, alii fidas observationes posteritati tradidere. Horum aliqui morbum internecinum pingunt, rationesque medendi hucusque inventas, tanto malo fere impares candide profitentur.

Ex illis quidam, morbum minus gravem praedicant, methodumque sanandi certam tutamque iam iam inventam, audacter gloriantur.

Hunc inter scriptores dissensum equidem non miror. Omni enim aevo in medicina consuevit, ex observationum numero quamvis exiguo, non universalia solum deducere therapeutices dogmata, sed, (quod dolendum omnino) ista unicuique invito et nolenti obtrudere.

Differt certe dysenteria respectu naturae suae. Aliam simplicem, aliam putridam, vel inflammatoriam, vel biliosam nominaverunt observatores. Hac differentia posita, id in limine huiusce libelli moneo: dysenterias eiusdem prorsus naturae multum discrepare inter sese respectu maioris minorisve periculi. An coeli plaga, an hominum vitae genus huc faciat, an potestates occultae nocentes in censum referendae sint nescio; extra omnem saltem dubitationis aleam positum est, morbum dysentericum certis annis vel terris modo maiore internecina vi populum adoriri, modo minore.

Medici, qui hunc morbum minus periculosum observarunt et curaverunt, adeoque imbecilli medicina sanare potuerunt, perperam suam curandi methodum ac universalem vendunt, perperam alios, quibus cum atrociore hoste decernendum, vituperant, quod medicamina validiora adhibuerunt, perperam civium cladem medicis potius, quam morbo tribuunt.

Talis quidem videtur animi nostri conditio, ut a particularibus experimentis universales abstrahat theses; cavendum tamen, ne ratio fastu coecata, alienam experientiam temere reiiciat; aliosque ac bardos non audiendos contemnat. — Quodsi omni aevo medici rationales, observationes et curationes suas litteris mandantes, circa universalia praecepta minus proclives fuissent, medicina sane plus profecisset.

Si itaque in sequentibus ratio curandi a me tradenda aliis minus arrideat; ne e vestigio libellum eiusque auctorem temere obtrectent, rogo, quin exigo; memores etenim sint, me ista tantum in medium tulisse, quae propria circa morbi curationem me docuit experientia: Quae dicam, perpetua saltem non sunto. — Quodsi illis contigerit, levioribus armis cruentum hostem domare; ex animo iis gratulor, quin opto, ut summum numen, si unquam iste morbus in nostros cives sit debachaturus, talis eum sinat esse notae, ut ratione ab illis tradita, felici successu eum possim curare, et cives, et amicos servare.

CAP. I.

Trium morborum popularium historia.

De dysenteria commentaturo praesertim incumbit, graphicas morborum popularium, quibus interfuit, tradere historias. Agedum ordiamur ab anno 1795. Morbus eodem autumno in pagis Cliviae vicinis serpens, parum epidemius hos illosve tantum invasit, et urbs incontaminata mansit.

Quamquam hoc anno aegros passim vidi, et curavi, levi tamen pede hocce spatium transire satius puto; nam observationes ad lectos rusticorum solummodo collectae, parum ponderis habere possunt: dëest satis crebra aegros invisendi occasio, quae tamen ad hunc morbum, magis quam ad ullum alium rite observandum et curandum, apprime necessaria est.

Sequente anno 1796 morbus nos terin cives Clivienses desaeviens, multos orco dedit. Antequam luis huiusce historiam lectori propono, necesse erit de constitutione anni quaedam notare.

Praecedente hieme a Januarii ad Junii mensem usque, febris putrida mali moris passim apparebat, et quamquam non admodum popularis erat, attamen in omnibus morbis acutis tutum fuit sibi prospicere, quippe facie amica larvatus hostis subinde ex improviso erupit, et maculae, et sanguinis fluxus, caeterorumque malorum syrma subito adparuit.

Mense Junii ad finem usque Augusti tempus fuit salubre. Febres, quas passim vidi, admodum benignae, sola iuvante natura sanabantur. Plerumqne nausea et vomitus eas comitabantur, absque omni acritatis in ventriculo stagnantis suspicione.

Vomitum elicere, alvum movere parum profuit, quamquam ponderis sensus in praecordiis linguaque sordida id suadere viderentur. Evacuationem tamen non aeque nocivam deprehendi ac in febribus putridis.

Intra septem vel quatuordecim dies absque alvi fluxu critico leni sudatione febricula ista iudicabatur.

An magno medicaminum apparatu decursus potuisset recidi, nescio; siquidem salubri hoc tempore naturam observando potius, quam cogendo medicinam feci, et fortasse tam mihi, quam aegro optime consului.

Vertente nimirum anni constitutione, tutius est pauxillum cunctari, et pullulantem morbum suasque notas accuratius perspicere.

Mendicorum tuguria ut ut nunquam detrectabit probus medicator, eo tamen tempore crebro intrare eximie iuvat. Aeruscatorum enim tribus, omnibus nocivarum potestatum iniuriis praesertim obnoxia, morbos epidemios cito contrahit, et si quae sit contagii suspicio, confestim apparebit. Casas lustranti haud raro accidit, morbi decursum nullo videre turbatum medicamine; siquidem pauperum multi, sanitatem immo ipsam vitam parvi pendentes, medicinam respuunt, et uni eorum auxilium ferendo,

duos vel tres, vel plures naturae tantum commissos observare licebit.

Quae sit in universum morbi popularis successiva mutatio, lucide docetur. Qualis eadem lues brevi interdum spatio aliam induat formam, notis nimirum stipata, quae genuinam eius indolem inlucent, prolixa datur scrutandi occasio.

Benignae istae febres, quarum modo mentionem feci, medio Augusti formam mutabant, sensui enim praecordiorum molesto, vomituique iungebatur in nonnullis, levis circa umbilicum dolor, in aliis alvus liquida torminalis.

Eodem tempore aliqui deiecere cinereum quiddam pituita mixtum, et citra evidentes notas aliter corpus se habuit, atque consuevit. Tandem elapso fere Julii mense ad puellam vocatus sum, quae dysenteria omnibus notis stipata decumbebat. Tunc vero nondum ullus erat luis rumor.

Ultimis proinde diebus mensis Julii ingressa Cliviae moenia, ad medium Augusti parum se propagavit, ex illo autem tempore magna ferocia per universam se diffudit urbem, tantaeque fuit malignitatis, ut medici putridam cognominarent. Aequo furore ad medium usque Septembris perstitit, ex quo paulatim remittens medio demum Octobris exstincta est.

Numerus illo tempore decumbentium finite dari non potest. Ego ultra trecentos curavi, tres praeterea col-

legae medicinam ibi faciebant. Quamquam non verisimile est, collegas aeque occupatos fuisse ac ego, utpote me iuniorem mendicorum turba obsedit, saltem omnes una cum chirurgis sat operis habuere. Adde, quod tunc temporis, sagarum et tonsorum agmen, publica libertate procax medicorum munere functum sit, et intelliges, decumbentium numerum satis magnum fuisse.

Mense Augusti, dum funerarii per omnes volabant plateas, Reipublicae Gallicae procurator Cliviensis in curiam medicos convocavit, ut de communi civium salute consilium haberent. Sed nihil plane disputatum est, quod latiorem morbi propagationem impedire potuerit.

Medio Septembris, decrescente iam morbo, Respublica Gallica medicos in urbem misit, nescio an in finem ut nobiscum de abigendo morbo conferrent, an ut de rerum statu tantum pronuntiarent. Secunda itaque vice in curiam vocatus sum. Sed ex prima acroasi adhuc nauseabundus, satius existimavi aegris meis prospicere, quam de communi civium salute disputare. Deinde vero me poenituit negligentiae, comperui enim, medicum Coloniensem eximiae eruditionis interfuisse.

Anno 1797 Gochense medico defuncto ad hocce oppidum me contuli, ubi hucusque medicinam facio. Annorum 1797, 98 et 99 mentionem non faciam, quia hoc spatio tam oppidum quam vicini pagi a dysenteria immunes fuere. Id tantum animadvertendum, me anno 1797 morbos cum virium constantia, quos nostrates *Sthenicos*

vocant, ultimo vidisse. Ex eo enim tempore omnes fere morbi debilitatis characterem sortiuntur.

Venam secare, alvum purgare, vel alio modo vires aegro detrahere alienum est. Quamquam non semper eo necatur, tamen raro sanatur, et ausum duntaxat est anceps.

Anno 1800 Januarii mense febris nervica pleuritidem mentiens, quam vulgo pleuritidem nervosam, recentiores asthenicam vocant, increbruit, et ad Junii mensem perstitit. Ex eo tempore nota ista pleuritica in universum evanescens, alii infensae passioni locum cessit. Omnes enim nervica ista febre decumbentes, secundo, tertio, vel quarto die ventris fluore vexabantur, qui non mediocrem mihi peperit crucem; vires enim adeo convellebat, ut, quamquam eum cito compescere, vel omnino evitare adnixus sim, tamen omni adhibita attentione et cautela, vix ac ne vix quidem potuerim efficere, quin unus et alter diutius in hoc morbo traxerit.

Die 25 Augusti ad virum honestum, vicinum meum vocatus sum, alvi fluore laborantem. Narrabat mihi: se leves circa umbilicum dolores sensisse, et in universo corpore citra evidentes notas quoddam incommodum. Jalappae pulvere assumto (suasu nempe tonsoris sui) ventrem fluere coepisse.

Cum primo eum videbam, tertio die alvus liquida fuerat, et decies ad summum uno die deiecerat, praecedentibus singula vice circa umbilicum torminibus.

Descendere sine pituita et cruore liquidae faeces. Desidendi cupiditas non fuit: lingua alba et humida, arteriarum pulsus plenus et citatus, calor corporis auctus, cutis sicca, urina subrubra, Ex alvi fluore neque vires convulsae, nequae aliae suspiciosae passiones. Unde colligere pronum fuit, aegritudinem istam, a febre nervica (morbo scilicet stationario) multum discrepare.

Cum vero morbi notitia, tam ex notis evidentibus petita, quam ex nocentibus (ut aiunt) et iuvantibus, pauxillum sit manca, tutius mihi visum est, summa cum circumspectione, et suspenso gradu procedere. Quod quidem difficile non fuit, toties enim vicinum visitare potui, quotiescunque mihi placuit. Proinde dedi ei sequentem medicinam

R. Gummi tragacanthae gr XV.
Solve in aquae communis Unc. VI.
Adde
Tincturae thebaicae gtt. XL.

Adsumsit singula hora cochlear unum.

Effectum huiusce pharmaci optatissimum deprehendi, quippe mitigando alvi fluorem, neque animi alienationem, neque soporem, neque tremores induxit, quae quidem passiones in febre nervica post assumtam opii quamvis exiguam portionem fere semper incidere.

Auxi deinde opii quantitatem ad guttas centum usque, quae scilicet quantitas ad comprimendam alvum requirebatur. Vidi quoque aegrum post singulam deiectionem peius se

habere, compresso ventre melius. Ubi tandem coactae descendere faeces, secunda ei contigit valetudo.

Cum huic invigilarem morbo, alii, simili passione afflicti opem meam implorabant, qui eadem ratione tractati convaluere.

Hoc pacto comperui, iam negotium mihi non esse, nisi cum irritatione intestinorum, quippe a qua universi corporis irritatio, febris, aliaque mala profecta.

Fuit itaque haec aegritudo, morbo stationario opposita, huic enim alvi fluor seu passio adventicia supervenit, in illa fuit morbus primarius.

Sub initio Septembris, primo dysenteriam omnibus notis comitatam vidi. Magna cum celeritate per universum dispersa oppidum, ad medium usque Novembris tyrannidem suam exercuit, ex quo cito deflagravit.

Tum omnes aedes, secundum sepulcretum sitae, hac lue incontaminatae mansere, et in platea *molendaria* pauci decubuere. De hac platea notandum, dextrum aedificiorum ordinem, longo coenobii muro, sinistrum vero multis angiportis esse intersectum. Unde perpetuo perflatur vento, id quod etiam in coemeterio consuevit.

Cum aegrotantium numerus in dies augeretur, iudex ad curiam me invitavit, quo secum, et cum aliis honestis viris de civitatis sanitate consilium haberem.

Omnibus momentis rite perspectis et pensitatis, mirandum tale prodiit consultum : » Cum ad evitandam luem sospitale » sit, corpus contra aëris intemperiem vestimentis munire, » et salubria ingerere, quae alendo corpus, intestina ne- » que irritent, neque onerent, horum vero publicus non » sit penus; in propatulo est, plebem a morbo non posse » tueri.

» Cum oppidi aerarium omni argento sit orbum; pa- » lam est, medicamenta publico sumtu non posse compa- » rari, aegrosque indigentes perinde a morbo non libe- » rari. Ne autem expavescant decumbentes, defunctos » campanis conclamari vetatur. «

At hisce comitiis lues parum obtemperans, eodem te- nore infrenata processit. Quae ego ad domandum suum ſurorem feci, fusius deinde tradam.

Mense Novembris ad finem usque Decembris febres passim curavi, quas dysentericas appello, quia irritatio- nem intestinorum citra materiem palpabilem pro sua causa agnoscunt, qua sublata disparent. Febris nervicae leve tantum vidi vestigium.

Mense Decembris febris catarrhalis popularis, quam *Influenzam* vocant, ad nos translata, ad Januarii men- sem usque palabatur.

Ad finem Februarii 1803 usque, tempus fuit saluber- rimum, toto hoc spatio quinque tantum febre nervica correptos vidi, neque inflammatorias, neque gastricas fe- bres observavi.

Sequentibus duobus mensibus morbilli in infantes grassati sunt, ineunte Aprilis variolae; hae exeunte mense Septembris exstinctae sunt, illi ocius.

Mense Augusti, Septembris et Octobris, febres iterum dysentericae adparuere; dysenteria autem genuina hoc anno popularis non facta est, nam duodecim tantummodo ea affectos in oppido notavi. Ad exitum usque anni, tempus fuit perquam sanum, acuti periculosive morbi vix occurebant.

Ineunte anno 1802 febris nervica laterum dolore stipata, hic illic in oppido caput extulit, mox increbruit, et in pago vicino *Weeze* magnam ruricolis dedit stragem. Insidiosa admodum, ut neque aequalem unquam viderim, neque maligniorem descriptam legere meminerim. Graphice, quantum potui, eam delineavi, medendique rationem tradidi in seorso libro, qui Berolini prodiit.

Mense Augusti denuo apparuere febres dysentericae, Septembris dysenteria irrupit, et per universam civitatem passa, medio demum Novembris fugam dedit. Hoc quoque anno nullam domum iuxta coemeterium sitam ingressa, in duabus tamen aedibus plateae molendariae (in qua caeteroquin decumbentium numerus parvus fuerat) ad finem fere anni morabatur.

Saeviente autem dysenteria, febris nervica, ac morbus stationarius imperium suum servavit. Nunquam tamen cum illa complicatus, suum potius tramitem legit, ita, ut

in eadem domo alterum dysenteria, alterum febre nervica decumbentem haud raro viderim.

Narrata trium morborum popularium historia, interiectaque anni constitutione, antequam morbi imaginem lectori propono, id monendum videtur: me in hac triplici lue, nullam observasse differentiam, neque respectu mali naturae, neqne rationis medendi, vel notarum comitantium, vel majoris minorisve periculi.

Oriente, multo magis autem deflagrante morbo popu-lari, insontem eum deprehendi, talem quoque in istis annis ubi epidemius non est, perniciosum vero in ſuis fervore.

Ne itaque unum idemque crebrius ruminare cogar, una delineatione ista, quae diversis annis passim notavi complectar, morbum aeque talem descripturus, ex quo facilis aegro salus, quam ex quo difficilior, vel omnino nulla.

Coepit triplici modo. Vel subito hominem adoritur absque praeviis signis, ac notabili valetudinis mutatione, vera extemplo apparens facie.

Notandum tamen, perpaucis id contigisse, quin dubito, an non isti qui ex improviso afflictos esse contenderint, valetudinem alteratam dissimularint. Sunt enim, qui rudioris corporis habitus, mentisque incultae, parvum incommodum facile ferant, neque ad id animum advertant.

In aliis, et quidem quam plurimis, ante adversam valetudinem quaedam notae oriuntur. Sensus incommodi

eos tenet, praecordiorumque oppressio. Quibusdam cibo valido et inflante intestinum oneratum videtur. Lingua est alba, cibi cupiditas nulla vel minuta, somnus inquietus, arteriae concitatae plenioresque, et stercus cinereum excernitur. Hocce stadium modo unum diem tenet, modo quinque, modo plures. Oriuntur tum simul, vel singulae deinceps dysenteriae notae. Alios primo ventris tormina vexant, alios crebra desidendi cupiditas.

Tandem vero morbum nostrum haud raro ventris fluor praecedit. Aeger vel parum aliter se habet, ac dum bene valuit, cibique adhuc est desiderium suetum, vel febricula levis, cibumque fastidit.

Plerumque tamen altero, vel tertio die oritur desidendi cupiditas, quae paulatim increbrescit, donec serius vel ocius, tertio vel quarto die cum torminibus cruor descendit.

At morbi praesentis tales sunt notae. Febris est, et quidem validior vel mitior, arteriarum pulsus plenus et citatus. Caput sub initio nonnullis dolet, decurrente morbo dolores eius non sunt, rarissime ad finem usque perstant. (*) Sensus compressionis in fronte crebrior. De-

---

(*) Zimmermann in libro de dysenteria inquit: »In harten »Fällen hatten einige den ersten Tag einen unaussprechlichen »Kopfschmerz.« P. 18. Deguer contra p. 27 sui libri sequentia habet: »Nec hoc omittendum est, me in tanto numero afflicto»rum ne unicum de capitis dolore conquerentem audivisse.«

liria nunquam observavi, nisi in mortis fere articulo. (*) Somnium febriculosum notam non habet, nam fere omnes quibus febris validior, noctu aliena fabulantur. Id vero adstantes potius quam artificem terret.

Cutis in singulis est varia, aut calida, aut arida, vel roscida, vel sudoribus scatens. Lingua fere omnibus obducta, alba, multis ex albo cinerea, nonnullis flava, paucis arida. Gustus corruptus, aliis amarus, aliis putridus, plurimis insipidus. Spiritus ex pulmonibus in quibusdam putridum olet, in plurimis odorem non habet.

De siti magna omnes conqueruntur, ardens tamen non est, quotiescunque enim potum poscunt (et id crebro accidit) modicum eis dare haustum abunde est. Notandum tamen, omnes, quos viderim maiorem utcunque potus quantitatem sumsisse, quam consuevissent in secunda valetudine.

At vomitus inter omnes passiones pessimus. Serius vel ocius incidit. Vel nauseabundus est aeger, vel vomendi conatu vexatur, vel multum vomit. Nullum vero vidi talia vomentem, quae acritatum fellis corrupti suspicionem darent. Neque eos quidem, quibus lingua flava, vel sapor amarus, corruptus, putridus; quamquam in his praesertim ad id attendi, et quae reiecta lustravi. Primo ni-

(*) Zimmermann p. 18: » Ich sah auch bey einigen schon » den ersten Tag eine völlige Verwirrung. « Degner contra inquit, » deliria quoque, sed tantummodo levissima in moribundis » notavimus. «

mirum, quod adsumserat aeger cibi vel potus prodiit, deinde pituiata liquorque limpidus, tandem, ubi validior ursit vomitus, parva fellis sinceri quantitas, aeque ac in iis consuevit, qui dum bene valent, vomere coguntur.

Deiectionum numerus est varius in singulis, alii ter die vel quatur desident, alii omnibus momentis, ut diem noctemque in matula detineantur.

At descendunt cum pituita, cruenta strigmenta, aut cruor sincerus pullus, aut liquor rufus ramentis subalbis in matula subsidentibus mixtus, vel pituitae frusta hyalina pulla, pellucida, tremula, vel viride quiddam instar oleris indigesti cum albo muco contortum virgisque cruentis sparsum, vel liquor flavus ramentis albicantibus in matella subsidentibus mixtus, vel demum massa coloris murei limosa, id tamen raro.

Dolores in universum non sunt admodum acerbi, aegri nempe citra eiulatum gestumque distortum eos ferunt. Nonnullos tamen vidi, quos atrociores anxerunt, ut cubantes in eodem situ manere ne momentum quidem possent, corpus hinc illinc movendo, pandando, distorquendo tormina compescere adnitentes. In his quidem dolores ex umbilico orientes, circum lumbos et os sacrum ad anum usque vagabantur, cum in plurimis regionem umbilici solum tenent. Quandoque dolores indesinenter urgent; plerumque tamen remittunt, postquam assellavit aeger, instante tantum deiectione reversuri. Omnibus ventrem manu contrectari ingratum est. Multis venter non dolet, idcirco tamen non in minori versantur periculo.

Fere omnibus desidendi cupiditas, nonnullis modica solum, ut eam vix querantur medico, aliis vehementior, ut integras noctes in matella pandati maneant. Urina in singulis est varia, pallida vel rubicunda vel turbulenta. Sed inspiciendi abunda non fuit occasio, quippe plurimi desidendo mixere. Retentio rara, at libido urinae irrita, crebro aegros vexat. Ecce morbi sanabilis notae! — Ubi vero gravior est vel letalis, tales fere incidunt passiones.

Arteriae eousque tali celeritate pulsantes, qualis in febribus mitioribus consuevit, vel subito citatiores fiunt, vel intra spatium duorum dierum paulatim ad magnam motus velocitatem accedunt. Haec mutatio certo non contingit die, interdum secundo, vel decimo etiam, vel decimo quarto; simul quoque multo debilior fit pulsatio. Imbecillitas ista pulsuum praesertim in censum venit, ubi corpus vastum, arteriaque velut funis tensus digitum tangentis ferit. Ibi idem portendit, quod in aliis aucta frequentia. Sed hoc casu neque collapsa neque tenuis est arteria, pristinae potius extensionis, multo tantum minori valore ad explorantes digitos effecta adpellit. Pulsus admodum frequentes in vastis corporibus non appropinquantem mortem, sed instantem nuntiant. In nonnullis arteriae aequis non moventur intervallis, tantaque interdum velocitate, ut pulsus numerare difficile sit.

Omnes istae arterialis motus mutationes, magni ponderis sunt, periculum enim, ipsamve mortem praesagiunt. Neque solum in illis accidunt, quibus alvus crebrior et

cruentior fluit; vidi enim aegros decies tantum die desidentes, quibus pulsus quarto vel sexto funestus.

Altera lugubris nota, est vultus mutatio universique corporis habitus. Facies collapsa apparet et languida. Lingua vel alba manet, qualis fuit, vel flava fit, vel rubra, nigro reticulo instar araneae tecta. Interdum crusta nigra admodum crassa, adspectuque horrida obducitur. Nonnunquam decurrente morbo, subito tersa et rubra evadit, altero die pristinum receptura squalorem. Aliquos vidi, quibus periclitantibus rubra mundaque facta, talis ad mortem usque mansit. Perpaucis lingua faucesque exulcerantur. Aliis marcet animus et loqui eos piget, aliis somni perpetua cupiditas.

Mentis alienationes raro accidunt, interdum oblivia. Quae fari voluit aeger, protinus e memoria elapsa sunt, et de rebus praeteritis ac si praesentes sint interdum fabulatur. Id tamen momentarium est, nam omnes ad extremum fere vitae halitum mentis sunt compotes.

Pauci hisce obortis notis crebrius desident, quam antea. Si ex pharmacis alvus faculenta iam fluit, plerumque talis quoque in his angustiis tenet. In aliis vero denuo fit cruenta, imo descendunt subinde cruoris coagulati frusta.

In universum alvi excrementa hoc stadio aversabilem spargunt odorem, ut interdum gratius sit, morticinum lustrare proiectum, quam conclamatis desperatisque his corporibus medentes adhibere manus.

Vires musculorum in plurimis modice vigent, proximo enim vel secundo ante obitum die, aegri lectum exire, et amica manu fulti ad lasanum desidere possunt. Sunt, qui instante ipso mortis agone absque adminiculo corpus in sponda erigere valeant. Aliquos tamen vidi, quorum vires adeo convulsae, ut iam quarto ante obitum die lodicem nolentes spurcarent; raro id tamen fit, nisi in ipso mortis articulo.

At, pessimum portendunt manus algidae. Incidit ille algor interdum quarto ante mortem die, interdum ultimo, vel altero. In aliis morbis hancce notam nonnunquam observavi, in dysenteria fere semper. (*) Saltem duos tantum hac lue morientes vidi, quibus calor manuum naturalis, quem irruente demo leto excepit frigus.

Interdum tamen contingit, ut citra omne vitae periculum frigeant manus, si nempe a spasmis contrahuntur vasa, uti in mulieribus aliisque corporibus gracilioris compagis consuevit, eo tamen terreri non convenit; facile enim haec passio a letifera discernitur nota. Frigidae non sunt

---

(*) *Van Geuns* idem observavit, inquit enim p. 6, libri sui, quem *de dysenteria* scripsit, „ de dood kan somtyds zeer lang in „ het komen blyven, terwyl yskoude ledemaaten, en weggezon- „ kene pols reeds gevestigde versterving der ingewanden te kennen „ geeven. "

Varios legi auctores, qui huiusce notae nullam faciunt mentionem, utrum eam revera non observaverint, vel tantum notare neglexerint, dubium est.

morituri manus, sed gelidae, sudore udae, marcentque. Saepius ex improviso apparet infensum illud omen, fallitque artificem temere praesagientem. Vidi egomet aliquem, qui aegri manus stragulis operiri iuberet, aëris nimirum afflatu eas algere opinans. Imo narravit mihi vir quidam honestus, se moriturae uxoris algentes manus iussu medici (ceteroquin eruditi) lana succida involvisse. Doctum mehercle consilium! sed cassum; nam neque lana neque stragulis calor revocabitur unquam, ultimus agitur vitae lugubris actus. Tutum omnino est ad arteriarum pulsum diligenter attendere, hunc enim sub manuum algore nunquam non funestum deprehendi.

Facies iam magis magisque collabitur. Nasus est acutus, oculi in orbita profundi, palpebra inferior livido circumscripta arcu, vultus pallidus frigidusque, ac in fronte sudor magnis splendet guttis.

Infantes brevi ante mortem, nervorum distentione infestantur. In puero duodecim annorum, quatuor ante obitum diebus resolutionem dextri brachii vidi; idem sub corporis distortione expiravit.

Interdum aegros singultire observatur, ista passio mala letique nuntia, nisi in muliere hysterica aliove corpore irritabili, vel citra funestas accidat notas.

Dies, quo agri moriuntur, finitus non est. Aliqui moriuntur quarto vel quinto; in his pestifera ista signa, qualis pulsus velox, vultus mutatus, gelidaeque manus, celeriter se excipiunt. Plurimi intra octavum, et decimum quartum rapiuntur.

CAP. II.

Disputatio de causis et natura dysenteriae.

Perspecta morbi historia, ad causas veniendum est. Inter scriptores consuevit ab aëre ordiri, a cuius vicissitudine intemperieque morbum proficisci, luce clarius demonstrant. (*) Sed demonstrare arduum non est; demonstratur enim magna satis verborum pompa fictum perinde ac verum. Rite tamen perpensis omnibus momentis persuasus sum, non temere quidquam in abstrusa hac re posse evinci.

Verum equidem, tribus a me descriptis morbis popularibus tempestatem mutabilem praecessisse, caloresque magnos, frigora vicissim excepisse; id vero exeunte aestate hic locorum subinde citra ullum dysenteriae vestigium accidit. (**) Quid? quod pagi vicini eodem circumfusi coelo, easdem passi mutationes immunes manserunt, excepto pago Weeze, qui anno 1800 luem contraxit. Vi-

---

(*) *P. Forestus obs. Med. Lib. XXII, observ. XXXIII* audacter admodum scribit „si hyemem aquiloniam videamus, ver „australe et pluviosum, calidum aestatem; aestatis fine et autumno dysenterias futuras pronuntiabimus.“ Dixerisne talia fantem invisa naturae penetralia lustrasse?

(**) *F. Hoffman in sua Med. Rat. system. Cap. de dysent.* sequentia habet, „notari hoc loco meretur dysenteriam interdum „absque tempestatis vitio popularem stragem edere ex solo mias„mate per aërem obversante. Tum vero certis terrarum tracti„bus quasi inclusus observatur affectus.“

cissitudines temperaturae coeli sensibiles et evidentes, corpora humana equidem afficiunt; quotidie enim videmus temperiei aëreae varietatem, destillationi, tussi, alvoque liquidae praebere ansam.

Inde autem aegre explicatur, quare sanguis ex intestinorum vasis erumpat, qui alioquin fluente ex perfrictione alvo raro vel nunquam descendit; neque facile extricatur, quare non solum febris, sed morbus perniciosissimus, intra paucos dies homines rapiens, istum alvi fluorem comitetur.

Forsitan quis dixerit: actionem intestinorum esse validiorem in dysenteria, quam in alvi fluore simplici, cruoremque proinde validiore intestinorum motu deorsum versus, ex vasorum ostiis elidi et cogi. Ubi autem lues perniciosior in cives debachatur, ubertim perspicitur, alvum non semper ex validiore intestinorum actione cruentam fluere. Ad elidendum sanguinem, fortissimus requiritur intestinorum motus, qualem in sanis corporibus resina tantum Jalappae, Colocynthidis pulpa, aliisque validioribus pharmacis vix sine vitae periculo ciere possumus. In morbo dysenterico epidemio autem, cruor quandoque descendit absque notabili valetudinis mutatione, ita ut homines in forum exire, et negotiis suis fungi queant. (*) In-

(*) *Jan de Reus in tractatu*, quem *de Dysenteria* scripsit, idem narrat, inquit enim p. 5: » Eenigen krygen in den beginne veel ontlasting van eene dunne bloedige stof zonder koorts » met weinig pyn; blyven op de been, eeten wel; en herstellen » zonder gebruik van medicynen. «

terdum contra illi, qui graviter decumbunt, quos atrocior intestinorum irritatio excruciat, parum cruoris deiiciunt.

Memini adhuc virum, qui non torminibus solum, sed tanta quoque inexpugnabili vexabatur desidendi cupiditate, ut anus prolaberetur, doloresque ad renes non solum vagarentur, sed in testes nervumque desaevirent: Neque temere quisquam in tortoris equuleo excercebitur iuxta atque miserrimus ille, qui tamen cruorem vix deiecit. Unde in proclivi est colligere, motum intestinorum acceleratum, non sufficientem esse erumpentis cruoris causam. Tali tempore ostia vasorum imi ventris ad transmittendum sanguinem in universum videnter proniora, in ipsis enim angiportis aliisque urbis recessibus, ubi plerumque iuxta muros conquexit vulgus, excrementa cruenta, mucosa, adspectu foeda hic illic sparsa iacent.

Si itaque absonum non est, alvum citam ex mutatione coeli subitanea et evidente explicare, id saltem mihi absonum videtur, sanguinis descensum inde deducere. Maiore autem premitur difficultate ista explicatio, si perpendimus, alvum citam ex infrigidatione ortam, nunquam esse perniciosam. Raró saltem homines praecipitat iste morbus ac dysenteria, sed ubi benigna natura, vel arte protinus non sanatur, longus fit, et qui diutius in hoc malo traxerunt, vel ad id adsuescunt, vel paulatim consumuntur. Ex eo tempore, quo hic locorum medicinam facio, multos ex perfrictione alvinos curavi, imo hac hieme taedium illud perstat, et dum modo haec scribo, mense scilicet Februarii, hos illosve adhuc lacessit. Sed ex om-

nibus, quibus opem tuli, unam tantum memini matronam, ex hoc malo tanquam ex morbo acuto vita periclitantem. Haec autem tantam, tamque immensam humorum patiebatur iacturam, ut ex inanitate corporis mors instaret. Illi contra, quos dysenteria celeriter rapit, non inanitate corporis perimuntur; interdum enim integris duobus diebus noctibusque tantam humorum copiam non deiicunt, quantam una vice illa matrona.

Sunt, qui teneant, dysenteriam esse affectionem catarrhalem vel rheumaticam, intestini plenioris, eamque exponendo corpus coeli vicissitudini contrahi. (*) Afferunt

---

(*) *Stoll* primus hanc ideam in morem perduxit. Inquit in *Rat. Med. Tom. 5. p.* 410: „Jam diu est, ex quo dysente„rias non specto tamquam morbos semper et mere saburrales, „tanquam solis evacuantibus sanandos. Sed quotiescunque dysente„riam curandam habeo, toties mihi hominem propono tanquam „rheumate et quidem intestinorum laborantem." Qui vero credunt, Stoll primum hanc ideam proposuisse (quemadmodum id plus vice simplici legi) pessime allucinantur; nam F. Hoffmann in sua *Med. Rat. Syst. Cap. de dysent.* in epicrisi ad observationem II sequentia habet, „cruentae alvi fluxiones optimo iure cum „affectibus catarrhalibus et rheumaticis comparari posse videntur, „quam plurima quippe sunt momenta, quae hanc convenientiam „demonstrant." Salva autem aliorum opinione unum monendum habeo. In coryza humores acres quidem excernuntur, nunquam vero sanguis. Quid? quod ii, qui narium haemorrhagiae sunt obnoxii, coryza laborantes, a sueto sanguinis stillicidio sunt immunes, et remittente demum irritatione membranae pituitariae sanguis denuo erumpens coryzam finitam designat; quapropter videtur

quoque ad id evincendum observationes. Mala nempe rheumatica et dysenteriam se subinde excepisse, evanescente alterutro morbo notaverunt. Abunde et ego id vidi, at inde istam deducere consequentiam distuli. Multoties saltem diversae imo oppositae affectiones se invicem excipientes, communem causam non agnoscunt. Quid? facilis et incoacta est explicatio harum vicissitudinum, ex partium corporis mutua repugnantia. Sunt nimirum affectiones destillatione vel tussi multo graviores, quae tamen intestinis irritamento affectis, cito evanescunt. Insania haud raro pharmacis, quae alvum vehementer movent sanatur, item artuum dolores. Sunt quidem, qui secundam valetudinem, quae hoc modo homini contigit, everso tribuant felli; id autem fabulosum, et quanquam interdum verisimilitudinis speciem habeat, multum saltem abest, ut perpetuum sit; ut plurimum enim pharmaca alvum purgantia non everrendo morbi fomitem, sed vellicando solum intestinorum nervos morbum sanat.

Rheumatismos dysenteriam interdum excipere mirum non est, quippe qui ex hac lue convaluerunt, assidua sudatione digesti, aëri liberiori corpus exponentes, facile dolores artuum contrahunt, praesertim si alioquin huic incommodo obnoxii fuerunt. Inde tamen cogere, dysente-

---

irritationem talem catarrhalem ostia vasorum potius constringere quam aperire. Hac hieme mulierem vidi, quae noctu in latrina frigori exponendo pudenda, cunni rheumatismum contraxit. Humores quidem acres magna copia ex dolente et tumente vulva excernebantur, non vero sanguis.

riam nihil esse nisi rheumatismum intestini plenioris, alienum est. Neque ignorare oportet, rheumatismum facile omnes lacessere, qui in morbo quocunque alio multum sudaverint.

Legere memini, dysenteriam semper ruri praesertim messis tempore tyrannidem suam exercere. (*) Verum equidem est, rustici ex messione frumenti plerumque vehementer desudant, ad crepusculum usque in agris manent, et subinde horis antelucanis rursus exeunt messum: nihilo secius tamen hoc exeunte decennio, dysenteria, nostris saltem regionibus, pepercit fere hominibus rusticis, et urbicos, tantum agressa est. Anno quidem 1795 in pagis Cliviae vicinis caput extulit, sed parum se diffudit; et cum anno 1800 in pago Weeze grassaretur, per vicos non passa est. Weeze autem, quanquam vulgo pagi nomen sortitur, oppiduli potius meretur. (**)

Porro dicunt: neque semper autumno tantum rheumatismus ad intestina fertur, sed aliis quoque anni temporibus in singulis hic illic apparet dysenteria. (***)

(*) Immer herrscht die Ruhr vorzüglich auf dem Lande, gern zur Zeit der Erndte.

Richter medicinisch-chirurg. Bemerkungen etc.

(**) *Tom. Willis* de dysent. Londini anno 1670 inquit, „ dum „ intra hanc urbem dysenteria ista popularis adeo immaniter „ grassata est, ruri, aut saltem ultra tria milliaria nullus decu- „ buit. “

(***) *Richter*, medicinische und chirurg. Bemerkungen P. 107.

Et ego observavi, rheumatismum ad intestina ferri, atque in istis corporibus, quorum intestinum, praesertim rectum iusto irritabilius, dysenteriam mentiri. Infantibus et mulieribus id quandoque accidit. Sed tantum discrepat istud taedium a dysenteria populari, quantum levis musculorum intercostalium rheumatismus a vera et genuina pleuritide.

Cum iuvenis Berolini medicinae studerem, familiaris quidam meus, cuius intestinum rectum admodum irritabile, tali rheumatismo infestabatur. Crebra desidendi cupiditas eum vexabat, et ex intestini vasis folliculisque mucosis, pituita virgis cruentis sparsa non sine magno cruciatu extorquebatur. Dysenteria erat. Legeram modo de hoc morbo novissimum tractatum, et anceps non haesi, quid mihi faciendum, quin potius confestim opii tincturam ei propinarem. Tam celeriter convaluit amicus, ut post triduum officiis suis fungi posset. Ehem qualis exsultavi! et iure quidem. Mihine enim contigerat gravissimum morbum, truculentissimum hostem, toties detestatum, totiesque performidatum primo fugare incursu? — Audax, imo tentare gestiens, quid nova contra Lernaeam belluam valerent arma, ad hanc provinciam adpuli. At at! Qualis brevi virtus demissa est! primo enim autumno comperui, magnam inter leviorem intestini plenioris irritationem aëris frigidioris afflatu contractam, et inter dysenteriam popularem intercedere differentiam.

An itaque coeli vicissitudines ad generandam luem nihil conferant? — In censum omnino ducendae sunt,

sed qua ratione suam conferant symbolam, id difficile est dictu. Ex multiplici accuratissimarum observationum fide mihi constat, non solum coeli vicissitudines, sed in universum corporis temperiei subitaneam mutationem, multis, non tantum levioribus sed gravissimis noxis praebere ansam.

In libello meo de febribus nervicis, tradidi: multos corpus aëri frigidiori exponendo istam febrem periculosissimam tum hic locorum popularem contraxisse. Alio tempore eandem temperiei caloris animalis mutationem pleuritidi vel anginae inflammatoriae dedisse occasionem observavi, alio tantum distillationi vel tussiculae, alio febri *scarlatinae* vel putridae. Si itaque omnia mala, quibus temperaturae caloris vicissitudo ut extraria impulsio praecessit, catarrhalia et rheumatica appellare licet; fere cum nullis aliis morbis in posterum nobis faciendum erit, nisi cum catarrho et rheumatismo.

Potestatum nocentium in corpora humana effectum definire, arduum omnino est, quippe is tantum illis tribui licet, quatenus quidquam in corpore mutant; pendet vero plurimum a relatione, quae inter potentiarum impulsionem corporisque tenorem intercedit. Unde palam est, de effectu potentiarum nocentium in corpora humana, nihil poni posse quod perpetuum sit.

Non ignorare autem oportet, certis temporibus et regionibus corpora humana ad contrahendam aliquam labem esse proniora. Causa huius opportunitatis equidem nobis

latet. Quodsi vero experientiam, ac optimam in hisce tenebris consulimus magistram, docebimur, interdum corpora provinciae vel urbis alicuius, potentiarum nocentium impulsioni cedere, interdum resistere. Id non solum de coeli vicissitudine, sed de veneno animali contagioso etiam dictum esto. Interdum variolae ad oppidum vel pagum transferuntur, sex vel decem infantes adoriuntur, sed epidemiae non fiunt. Alio contra tempore ex unico in hoc morbo decumbente, universae civitati emergit pernicies. Idem valet de morbillis, de febre scarlatina, putrida aliisque morbis.

Tali tempore, quo corporibus inest ad morbum proclivitas, quaecunque potentia externa, modo aliquid in corpore mutet, morbum inducere potest, et parum refert, an aëris intemperies, an ingesta insalubria, an medicamenta ad valetudinem tuendam assumta, an motus animi in corpus agant, quaecunque enim impulsio a quacunque potestate profecta, instantem morbum provocabit, qualis favilla sarmenta incendet superstrata, an boreas an eurus an follis eam sufflet.

Si itaque de potentiis est sermo, quae dysenteriae dant occasionem, perperam unica, reliquis neglectis extollitur; omnes enim, quatenus eis commune, animalem oeconomiam alterare, in censum ducendae sunt. Hoc proinde titulo coeli temperaturam pro causa dysenteriae habeo, sed dysenteriam non pro catarrho vel rheumatismo; mihi enim neque ingeniosum neque utile videtur, nomen et naturam morbi a remotiore quadam causa de-

ducere, et medendi rationem superstruere; medicinae saltem pomoeria eo non prolatantur.

Equidem non credo ad luis curationem curiosam causarum remotarum investigationem multum facturam; utpote una eademque causa, diversa coeli plaga, in diversis corporibus, diverso tempore aliam et aliam procreabit mutationem, quae diversam plane curandi methodum sibi vendicat: attamen ad averruncandum malum scire confert, quaenam sint potestates, quae ei facile ansam praebere queant. Satis in aëre piscati descendamus ergo ad terram examinaturi, quatenus materia ingesta ad suscitandum morbum aliquid conferre possit.

Prisci arguerunt, pomorum varias species esse perquam nocivas. Magno fuit ista sententia detrimento pomariis, interdum enim magistratus medicorum adsertione fretus, integrum eorum penum in fluvium proiici iussit. Recentiorum aliqui, poma matura, omni suspicione non solum absolvunt, imo contendunt, ea ad curationem egregie conducere.

Multi quidem aliena auctoritate attoniti, in alterutram sententiam sequaces eunt; at, cum nostrum sit propositum, rationem et naturam potius consulere, quam auctoritates trutinare, tutius videtur in neutram vergere partem.

Omnia poma matura, quatenus corpus alunt, nocua non sunt, respectu vero toni intestinorum, quibus ingeruntur, detrimentum aliquod inferre queunt. Qui dum bene valent, poma affatim devorant, plerumque ventri-

inflationem sentiunt, quae quidem in robustis corporibus citra incommodum accidit, et elapsis aliquot horis, emisso ex inferiori parte spiritu, evanescit. At si infirmior intestinorum compages, alia mala oriuntur. Materia cruda et inflans acescit, intestina vellicantur, et dolor eorum est, donec fluente alvo cum spiritu recrementa acida descendunt.

Quando in universum tempus est salubre, corpora saltem ad alvum parum prona, facile illud taedium ferunt, neque verendum, ne fiat aliquid asperius. Ubi vero dysenteria in loco aliquo caput extulit, omnes incolae ad ventrem liquidum sunt proclives, et fructus, quanquam sint maturi, parum conducunt, quippe in debilioribus, intestinorum sunt turbamentum, et speculabundum morbum arcessunt. Alvus nimirum ingestis acidis et inflantibus mota, sponte non comprimitur, sed aliquot dies tenerrima fluit, donec pedetentim dysenteria inserpit. Quae propono, vana non sunt, neque imaginationis figmenta, identidem potius vidi, dysenteriam alvum liquidam ex esu fructuum contractam excepisse. Praesertim id in pueris accidit aetatis iunioris, qui pruna, pira aliaque poma sapore adlecti affatim ingurgitant.

De fructibus itaque idem valet, quod de aëre modo monui. Perperam inculpantur, ac si dysenteriam faciant, sed perperam quoque insontes proclamantur. Omnes enim potestates, quatenus oeconomiae animali mutationem aliquam inducunt, praesertim quatenus intestinis turbamentum inferunt, morbo nostro ansam praebent. Ubi ergo

intestinorum compages firmior, poma esse neutiquam nocet, aeque ac coeli vicissitudo corpora vasta firmaque parum afficit, contra molliusculis et puellaribus alvum movet. (*)

Si animus mihi esset multos de causis dysenteriae scribere versus, uberrimam haberem occasionem; recensendo enim diversa esculentorum genera integrum facile componerem librum. Quis autem est, qui istis, quae protuli, rite perpensis, de omnibus alimentis iudicium non ferat?

Super est, ut de animi motibus quidquam proponam. Timor praecipuum inter potestates nocentes tenet locum. Vulgo creditur: homines pavidos facillime hac lue affici, et experientia id quoque testari videtur; interdum enim illos, qui aegris auxilium ferre detrectant, imo amicos decumbentes spectare abominantur, morbus adoritur. Ubi pavor aliquem in secunda valetudine percellit, cui infirmior intestinorum compages, huic protinus alvus movetur; cui vero intestinum minus irritabile, is crebo saltem mingere cogitur. Unde patet, istum animi motum, singulare

---

(*) » Quod si firmius fuerit primarum officinarum robur, » commissi etiam errores, facillime corriguntur, et noxia saburra » vegete proscribetur. At qui debiliori earum partium tono acidaque iam saburra istius fidissimo comite sunt instructi, deliciarum suarum gravissimas utique luere coguntur poenas. « *F. Hoffmann Med. Rat. system. Cap. de dysent.*

Horstius inquit, » fructus quoque interdum conducere possunt, » nihilominus propter fermentescentem dulcedinem sunt suspiciosi, « *Zimmermann* contra fructus sine restrictione commendat, inquit enim p. 61, » Als ein sehr gutes Vorbeugungsmittel » rieth ich den Gesunden weniger Fleisch, hingegen Obst und » Trauben nach Belieben zu essen. «

intestinorum, et in universum viscerum esse turbamentum. Qui bene valent, id facile ferunt; at cum in loco aliquo dysenteria desaevit, intestinorum est in universum eximia mobilitas. Alvus ex pavore, liquida, sua sponte non semper oppilatur, sed nonnunquam in dysenteriam transit. (*)

Sunt quoque, quibus dum ira excandescunt, venter fluit, unde lues gliscit; quia vero id subinde non accidit, siquidem timendi crebrior quam irascendi datur occasio, in transitu attigisse sufficiat.

Pharmaca tandem valetudinis tuendae causa adsumta in censum veniunt. Prisci quidem medici sibi et populo persuasere, dysenteriam ex redundante bile, humoribusque corruptis, calore aestivo adustis, intestinorum cloacam versus praecipitatis pullulare. Consonum itaque fuit, alvum purgare, et everrendo fomitem homines a pernicie tueri. Hac ratione inter populum consuevit, medicinam purgantem, praesertim Rhei radicem vorare. Sed anceps est consilium, eo tempore, quo alvus ad fluorem vergit, talia ingerere, quae hunc proritent. Facile venter movetur, sed difficile haud raro compescitur. (**)

(*) Casum dysenteriae ex terrore contractae narrat *F. Hoffmann Med. rat. system. Cap. de dysent. observ. V.*

(**) F. Hoffmann idem affirmans dicit; adnotare mihi saepissime licuit, quod tunc temporis (scilicet grassante lue) levissima intestinorum stimulatio, vel sumto purgante excitata, protinus efficiat dysenteriam. Idem observavit *Thomas Cawley* (Lond. Med. Journal vol. VII. p. IV) cujus tractatus translatio reperitur

Non paucos equidem novi, quos fortasse nunquam dysenteria infestasset, adsumta medicina purgante in alvi ſluorem, et elapsis aliquot diebus in luem incidisse; imo memini inter alios formosae puellae, quae tali intempestiva praecautione non solum morbum contraxit, sed quod pessimum, eo exstinta est. Probe itaque Horatius: » Quid quisque vitet, nunquam homini satis cautum est » in horas. «

Haec de dysenteriae causis externis dixisse sufficiat.

Equidem non dubito fore homines angustos, quibus ista manca videantur, malo autem his displicere, quam unum idemque recoquendo viros ingeniosos taedio conficere.

At cum causae enumeratae ad generandam luem non sufficiant, latentiores alias investigare oportet.

Primo se offert corporum quaedam ad morbum proclivitas, cuius supra mentionem feci. Non pudet fateri, me rationem huius opportunitatis nescire. Sydenham accuratissimus naturae observator tenet: mutationem constitutionis, mutationi manifestarum aëris qualitatum non esse tribuendam; opinatur proinde, constitutionis mutationem a secreta aliqua abditaque alteratione in terrae

---

in Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte.

Contrarium tenet *Zimmermann*, „ Krankenwärterinnen gab ich „ bey der ganz nahen Gefahr der Ansteckung mit dem besten „ Erfolge ein Brechmittel, andern Rhabarbertinctur, den meisten, „ die es begehrten, das saure Weinsteinsalz, " p. 64.

visceribus atmosphaeram omnem pervadente, vel a corporum coelestium influxu aliquo maxime pendere. Quamquam ex eo tempore physica probe exculta est, parum tamen lucis obscurae rei affudit, ut fere aeque ignari ad solam experientiam provocare obligemur; quam si quis reiiciat, non temere cum eo disputabis, vastus enim patet ratiocinationis campus, in quo exsultare possunt argutiae.

Secunda causa, quae in censum venit, est contagio. Sunt, qui eam negent, alii, qui eam tueantur. (*) Ego quidem in hoc scriptorum dissensu, dubius primo haesi, quid mihi statuendum, donec propriae observationes me lucide docuerunt, contagium probabiliter subesse. An accipiatur an negetur, parum interesse aliqui credunt. (**) Libenter eis adstipulor, si de decumbentibus tantum agitur; hi enim disputatione ista vix sanabuntur. At, quando morbus popularis in cives debachatur, medicum non solum oportet aegris opem ferre, sed sanos perinde reddere.

(*) *Etmüller op. omn. p. I. p.* 143 contagium in dysenteria populari statuere non dubitat, in sporodica negat.

Horstius in consilio dysenterico inquit; „hic ante omnia notandum, quod dysenteria alia sit maligna et contagiosa, alia „vero omnis malignitatis et contagionis expers.“

F. Hoffmann scribit; „notari adhuc circa dysenteriae historiam meretur, quod saepe numero contagiosa existat.“ De hac re legi meretur *Degner, Strack in tentam. Med. de dysent.*, praecipue *van Geuns* aliique.

Richter et recentiorum alii contagium negant.

(**) *Richter medicinische und chirurg. Bemerkungen pag.* 108.

tutos adversus pericula. Id vero fieri nequit, si contagio temere reiecto, liberum inter sanos et decumbentes conceditur commercium.

Multi auctores fidis observationibus evicerunt, virus quoddam animale in corpore aegroto nasci, quod in alia corpora translatum, dysenteriam procreare possit, modo eis insit ad morbum opportunitas. Istas observationes enumerare supersedeo, siquidem quemque eas in medicorum libris legisse puto; ex propriis tantum adversariis quasdam tradere sufficiat.

Plerumque in unaquaque domo, quam lues ingressa est, primo unum aegrotasse, deinde elapsis aliquot diebus binos, vel ternos, vel plures una afflictos observavi. In mendicorum attegiis, interdum universam familiam hac ratione prostratam vidi. In istis oppidi recessibus, ubi semel pedem intulit lues, per plurima se pandit tuguria, dum fortasse in alio angulo pauperum casae immunes adhuc manent. Aegre id ex aëris vicissitudine explicabitur.

Annis 1800 et 1802 observavi, in foro nostro quadrato patulo, ubi liberior est aëris accessus, numerum decumbentium multo minorem fuisse quam in aliis plateis. Platea vero molendaria, quae coenobii muro multisque angiportis est intersecta, paucissimos habuit aegrotos. Tandem aedes iuxta sepulcretum sitas, lues plane praetergressa est.

Si itaque coeli vicissitudo dysenteriam faciat, incolae locorum modo memoratorum ei apprime obnoxii fuissent. Perpetuus saltem est in ista platea, magis adhuc in coe-

meterio perflatus, ut quidem coelo parum flabili, corpora exaestuantia transgrediendo ista loca frigore afficiantur. Hisce probe perpensis, pro comperto habeo, virus quoddam animale ex altero ad alterum non solum arcto commercio propagari, sed aërem quoque pestiferis effluviis esse inquinatum. Quodsi in locis patulis plateisque intercisis perflatu atomi venenosi auferuntur, ista loca aliis angustis et interclusis multo salubriora esse oportet.

Luem ex oppido in vicos vidi translatam. Si nempe decumbentes urbici ad suam spondam rusticos cognatos vel amicos se visitantes diutius retinuerant; haud raro hi, morbo adfecti ad suos rediere, et lues paucis dehinc diebus eos infestavit. Imo singulare vidi exemplum anno 1802. Reverendus Bientz verbi divini minister, amicus meus, Spandoviam vocatus, uxorem, quia uterum gerebat, molestiis longinqui itineris exponere noluit, haec itaque hic apud matrem remansit. Sequente anno, debachante in oppido dysenteria, maritus uxorem secum Spandoviam ducturus rediit. Haec sana salvaque rhedam conscendit, tertio die trans Rhenum apud amicam moratura, ut intermissione viae longinquitatem falleret. Elapsis aliquot diebus, cum fere in eo est, ut ab amica discedat, persentiscit in intestinis levia tormina, et alvus supra consuetudinem movetur. At quia ista loca, in quibus tum tenetur, a dysenteria plane immunia sunt, animum ad leve incommodum vix advertens ne suspicatur quidem, se a lue, cuius ditionem exsul modo effugerat, in dissita premi terra. Pergit proinde iter; — At alvi fluxus et tormina exasperata, Hammonae eam detinent, et gravi-

ter ibidem dysenteria cruciatur, ut (quod mihi retulit) non nisi summa adhibita cura prudentis medici, ex orci faucibns erepta sit. Omnia ista exempla, non nisi coacte ex aëris mutatione, ex materia ingesta aliisque potestatibus explicabuntur; quare rationi magis consentaneum mihi videtur, contagium suscipere.

At si quis dicat qui fit, ut virus contagiosum generetur? — Respondeo: nemo temere naturae peplum detrahet, absconditumque penetrabit sacrarium. Virus variolarum, morbillorum, venereum, quamquam modo ex uno loco in alterum transfertur, oportet tamen primo in corpore aliquo sua sponte sit natum. Quis unquam demonstravit, qua ratione id factum sit? — Identidem quoque videmus, materiam contagiosam in corpore animali sua sponte nasci. Cutis eruptiones contagiosae, haud raro oriuntur absque omni venenosae insertionis suspicione. Imo novi puellam, quae tres annos lichene humido omnia membra obsidente vexata, in eodem lecto cum altera puella cubans, neque hanc, neque reliquam familiam materia infecit. Tandem quarto anno, foeda ista eruptio paulatim contagiosa facta, primo puellam, quae scabiosae lateri adiacuit, deinde universam temeravit domum. Quid multa? — Quotidie videmus, virus contagiosum, in intima corporis oeconomia praeparari, rationem, qua id fiat, nescimus; alienum itaque non est, contagium quoddam dysentericum statuere, quamquam rationem, qua id in corporis fabrica producatur ignoramus.

Quaeritur autem, utrum illud virus sit subtile, pestiferum, celeriter inficiens? — Id quidem nego. Si quis

ad spondam decumbentis non ita diu moratus, statim in locum salubrem revertitur, plerumque periculum elabetur. At si quis in platea angusta, hac lue infecta habitat, magis periclitatur. Qui tandem in domo minus spatiosa degit, in qua unus vel alter familiae aegrotat, facillime labem contrahet.

Hisce praemissis teneo: dysenteriam aeque posse oriri ex concursu contagii peculiaris cum opportunitate ad hunc morbum, quam ex concursu potentiarum nocentium externarum cum opportunitate; ita tamen, ut primus morbum contrahendi modus minorem, insequens maiorem deposcat opportunitatem.

Altera oritur quaestio: an praesente morbo adsit causa quaedam contrectabilis materialis? Priscorum quidem multi pro certo habuerunt, bilem aliosque intestinorum humores corruptos, fomitem esse morbi materialem. Recentiorum aliqui materiam non agnoscunt, sed de statu irritationis tantum loquuntur. Quo in hac scriptorum discrepantia verum inveniatur, necesse erit ponere, quid sit causa materialis. Omnis autem materia, quae in corpore opportuno morbum procreare potest, mihi est causa materialis. Duplex est, vel in ipso corpore generatur, vel extrinsecus irrumpit, ambabus his commune est, ipsa actione solidi vivi multiplicari, (de venenis enim alienis, quae corpori ingesta, vel chemica, vel mechanica, vel narcotica vi oeconomiam animalem vehementer turbant, ipsamque vitam subinde exstinguunt, iam sermo non est) supra contagium accepimus, quamquam id palpabile non est, tamen quia ex uno corpore in alterum transfertur, imo integra op-

pida inquinat, asomatum certe non videtur. Equidem non ignoro, illud virus perinde concursu impulsionis potentiarum et opportunitatis nasci, irritatione itaque intestinorum potius esse productum. Sed quia idem, in corpus aliud translatum, morbum facit; sane in eodem ventre, quo natum est, eundem effectum edet, et non quidem ut turbamentum accidens, quale est fel redundans vel acria ingesta. Quamquam in initio morbum non fecit, tamen gravem eum fecit, non complicatione qualicunque gravem, sed incendendo suum furorem et tristi (ut ita dicam) simplicitate. Fortasse nisi peculiari intestinorum irritatione venenum animale esset natum, levicula initialis ista intestinorum irritatio notam non haberet, et guttis aliquot tincturae papaveris, instar alvi fluxus ex infrigidatione orti, citra magnum medicamentorum adparatum compesci posset.

Pituita, cruor, bilis, aliique qui descendunt alieni humeros, perperam pro causa materiali habentur, producuntur tantum specifica irritatione intestinorum, et acrimonia rodente carent, saltem si talis eis insit, accidentalis est. Dum ex acrimonia alvus fluit, anus brevi tempore dolet, et decoriatur, id quod abunde conspicitur in illis, qui vina acida affatim bibunt. Si nempe his, naturae beneficio alvus fluit, statim sedem sauciam lamentantur. Raro autem illis, qui dysenteria laborant, anus sauciatur, quamquam creberrime desideant; unde merito cogendum, materiam descendentem acrimonia rodente carere. (*) Infantibus quidem sedes celeriter decoria-

(*) Priscorum et recentiorum multi, tormina, deiectiones, aliaque taedia ab acrimonia humorum rodente prefecta credide-

tur, id vero propter acrimoniam acidam tenellae aetati familiarem, quae singularem deposcit medelam, de qua infra uberius.

Praecipuum dysenteriae momentum est affectio intestinorum quaedam peculiaris: hac singulari irritatione generantur humores alieni et virus; quod quamquam chemica acrimonia hucusque cognita vacat, specifica tamen irritandi vi pollet, ita ut eandem solidi vivi actionem qua productum est, omni momento denuo suscitet et incendat. Si modo de singulari quadam irritatione loquor, id intelligi volo; quod irritatio non respectu maioris minorisve vehementiae, virus generet (talis enim explicatio admodum coacta mihi videtur) sed ratione hucusque omnino incognita.

Sunt quidem, qui omne obscurum et incomprehensum, ac fabulam temere reiiciant; id vero mihi non placet, multa enim latent in naturae gremio abscondita, quae eruere non licet, et utplurimum satis fecisse putamus, si in obscura re, ad generaliores naturae leges aeque obscuras provocamus. Quid? Effectum medicaminum vulneribus ulceribusque applicatorum, ex maiore minoreve sui irritandi potentia explicare conemur? Sunt nimirum pharmaca, quae ulcerum saniem foetidissimam, brevi

runt. F. Hoffmann tamen accuratissimus observator inquit: „At „ne huic in totum subscribere possum opinioni, si vel id con„sideravero, quod nonnunquam tam acris per intestina effunda„tur humor, qui argentea corrodit vasa, inde vero nec tunicae „intestinorum excorientur, nec tam atrocia, ut in dysentericis „excitentur tormina.“

tempore in pus laudabile transmutent. Pharmaca mercurialia, haud raro eruptiones cutis, foeda materie scatentes celeriter sanant, fortasse vasa ratione utique incognita ita irritando, ut non amplius acrem et rodentem materiam, sed humeros mites sanosque secernant. Nostris diebus Perill. Alexander de Humbold vir tam eruditione quam ingenuitate conspicuus, experimento in proprio corpore instituto evicit, peculiari et inexplicabili quodam irritamento, vasa in sanis quoque corporibus ad excernendos acerrimos humeros posse cogi. Utrique nempe scapulae imposuit vesicatorium, et detracta dein cuticula alteram plagam zinco, alteram argento armavit. Clausa catena, musculorum in hisce locis contractio orta est, et ex saucia cute, lympha acerrima profluxit ipsam cutem inviolatam rubefaciens. (*)

(*) Ingeniosus vir narrato hoc experimento memorabili sequentia scribit; „Wie wundersam zeigt sich nicht bei diesem Versuche der Bau der thierischen Materie! Ein feiner Stoff, den „Organen mitgetheilt oder aus ihnen abgesondert, ändert in wenigen Augenblicken, ihre Natur ab, und nun quellen Flüssigkeiten hervor, welche in ihren Elementen anders gemischt oder „geformt sind, als sie es vor der Reizung waren. Jeder Stimulus ändert die eigentliche Thätigkeit der Gefässe ab. Das gereizte Organ ruft Erscheinungen hervor, welche nach Verschiedenheit des Irraments verschieden sind. In dem dädalischen „Geflechte erregbarer Fasern ziehet eine Veränderung, die andre „nach sich, und auf diesem Wege lernen wir wenigstens die „Möglichkeit einsehen, wie der einzelne Hauch eines Pestkranken (das unwiegbare Atom eines gasförmigen Stoffes) plötzliche „Zerrüttung einer ganzen thierischen Maschiene hervorbringen „kann.“ *F. Alex. von Humboldt Versuch über die gereitzte Muskel- und Nervenfaser etc.* 1. *Band p.* 329. Illos, qui materiam alienam in dysenteria descendentem pro causa irritationis

Secundus irritationis ventralis effectus, est motus intestinorum auctus. Non vasa tantum intestinorum afficiuntur, sed fibrae quoque musculorum, ambo vero non aequali semper tenore. Nonnullis enim, qui hoc morbo laborant, alvus crebo non movetur, et vasa nihilominus humores alienos excernunt; alii subinde desident, et quae descendunt, minus aliena sunt. Imo in omnibus morbis epidemiis, irritatio non eadem esse videtur; ex medicorum enim monumentis adparet, in quibusdam morbis popularibus, alvum in universum cruentam non fluxisse. (*).

Respectu vero irritationis fibrarum intestinorum, scire oportet, magnam intercedere differentiam, an lues irritabilia corpora an torpida adoriatur. His intestina tandum moventur, illis una ventriculus. Ex nervorum consensu id facile explicatur; maior enim est et facilior nervorum consensus in irritabilibus, quam in torpidis. Si rusticus largam jalappae quantitatem devoravit, alvus ei purgatur tacente stomacho. Mediocrem dato huius phar-

---

ventralis habent, rogatos velim, ut hunc locum iuxta ac experimenta ingeniosi auctoris cum attentione legant.

(*) Raro *van Geuns* sanguinem descendere vidit, aegris nihilominus vita periclitantibus. *Thom. Willis* perinde talem dysenteriam internecinam sine cruentis deiectionibus descripsit. Similem in Thom. Bartholini *histor. anatom. cent. II. hist. LXV.* legere memini. In illa epidemia alii cruorem, alii humores serotos porraceos deiecere. Auctor quidem propter hanc diversitatem illos tantum dysenteria, hos diarrhoëa laborasse inquit, sed unus idemque fuit morbus epidemius, quod ex ipsissimis auctoris verbis patet. Inquit enim, „Benignior fuit dysenteria, sed diarrhoea „seu fluxus albus pluribus exitiosus. Illa facilius cessit remo„diis, haec difficulter.“

maci copiam pusae delicatulae, et venter ei non solum movebitur, sed nauseabunda paene sua intestina vomet. At si quis dicat: puella nostra sordes in praecordiis fovet, ipecacuanhae ergo radicem ei dare conducet. — Risum teneatis lectores? — Sed Hercules talia praecepta abunde in medicorum scriptis offenduntur, et non in priscis solum. (*)

Fibrae intestini plenioris in universum vehementissime afficiuntur. Oritur sui luminis constrictio, ut faeces descendere nequeant. Ubi irritatio tantum in intestino recto locum habet, et tenue parum afficit, levioris notae est morbus. Mitigata enim ista irritatione, excrementa mox coacta descendunt, et paucis diebus secunda redit valeduto. Raro id mihi tamen observare contigit; anno 1802 in tribus tantum aegris. Quam plurimis profundius inhaeret labes, et totus intestinorum canalis est affectus.

(*) *F. Hoffmann* inquit, » quibus saburra quadam onustus est » ventriculus, illi nauseam vomendi conatum ipsosque vomitus pa» tiuntur. « Et alio loco, » quae dysenteria cum vomitu se exserit, » et cui singultus accedit, magnum metum incutit. «

Quarin in animadversionibus practicis inquit; » Non tantum » periculi in vomitu est, cum principio morbi existit, quam cum » in progressu morbi accedit. « p. 212.

Quisque facile intelliget nihil horum utique perpetuum esse; fusius tamen id in sequentibus explanabo.

Hic notari meretur in omnibus morbis popularibus vomitum vulgatissimam non fuisse passionem, ac in illis quibus ego interfui. Talis *Matthei* (über die epidemische Ruhr) lue grassante, septem tantum initio morbi hoc taedio affectos observavit.

Mitigata enim vehemente intestini plenioris irritatione et contractione, faeces neutiquam spissae descendunt, sed alvus quamquam faeculenta, tenerrima tamen fluit, et non nisi summa adhibita cura comprimi potest. (*)

Videndum porro, quatenus intestinorum irritatio universam corporis fabricam afficiat. Affectio ista mihi videtur duplex, altera adspectabilis, altera inadspicua.

Nulla sane pars totius corporis compagis, maiorem et arctiorem cum universa animali oeconomia habet consensum, ac intestinorum canalis; quod lucide observamus in mulieribus spasmis obnoxiis. Dum his spiritus ex inferiori parte non satis libere transmittitur, plerumque male se habent, et mille taedia lamentantur, imo haud raro nervorum tensione vexatae prosternuntur. Temetum porro, vix ventriculo illapsum, universum corpus excitat, et pharmaca soporifera aliaque venena, sequente fere mo-

---

(*) Quandoque, raro tamen, ne minima quidem animadvertitur intestini recti irritatio, deiectiones ab initio sunt faeculentae, aegris nihilo tamen minus maxime periclitantibus. Dixerit aliquis, id esse diarrhoeam. Audio! sed diarrhoea saltem talis, admodum perniciabilis est; nam mulierem memini quinto morbi die ea exstinctam. Quandoque in illis, qui in maximo periculo versantur, irritatio intestini crassi est exigua, et recti constrictio primo die solvitur. Alvus deinde faeculenta profusa fertur, nullis prorsus medicamentis comprimi potest, et aeger perit. — *Donald Monro* universum canalem intestinum in cadaveribus infectum vidit. Idem de intestinis tenuibus in cadavere observavit *Thom. Cawley*, (ambo tractatus reperiuntur in Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte) praeterea de hac re legi merentur *Barbette Lib. IV. Cap. III. Joannes de la Moniere de de fluxu dysent. p* 4.

mento, quo devorantur, integram fabricam afficiunt. Mirum itaque non est, irritationem intestinorum dysentericam, in universum corpus operari. Istam universae animalis oeconomiae affectionem, febrem vocamus.

Impetus itaque non tantum pendet a maiore intestinorum irritatione, sed a relatione potius, quae inter hanc et universi corporis irritabilitatem intercedit. Unde divinare in prono est, notas febris dysentericae, in singulis corporibus multum inter sese discrepare. Istuc etiam lue grassante ubertim conspicitur; nam pulsuum arteriarum frequentia, sitis et calor in singulis corporibus revera multum discrepant.

Oritur autem quaestio: utrum febris sit morbus primarius, an ex sympathia tantum ortus, quam ad intestinorum canalem reliquum habeat corpus. Primum tuentur priscorum aliqui, insequens recentiores. (*) Quod ad

---

(*) *Sydenham* inquit; „ cum varia, quae huic morbo accidunt, „ symptomata diligenter ac mature mecum pensitassem, febrem „ eum esse (sui scil. generis) in intestina introversam deprehendi, „ cuius ope humores calidi atque acres in massa sanguinea con- „ tenti atque eandem exagitantes per arterias mesaraicas in dictas „ partes deponuntur. « *Hillari* in libro, quem de morbis in insula Barbados occurrentibus scripsit, alvi fluoris vehementiam nunquam aegrum necare contendit, mortem potius a febris vehementia et intestinorum inflammatione esse timendam. *Degner* febrem ab irritatione intestinorum potissimum pendere credit, irritationem intestinorum vero a bile acri alcalina. Evacuando itaque materiam eamque acidis corrigendo febri occur rit. Hac tamen vehementius urgente, alia pharmaca adhibet, inter quae eminent lapides cancrorum. Singularis profecto curatio, quae utique cum theoria sua de alcalina bilis acrimonia pugnat!

me attinet, persuasissimum mihi est, febrem tantum esse passionem ab irritatione intestinorum profectam, non vero morbum primarium.

Verum equidem est, instante lue aliquos compressa adhuc alvo aliter se habere, atque consuerint, arteriasque frequenter pulsare: ubi vero diligentius id examinaveris, comperies, intestinum iam esse affectum, citra alvi fluorem quidem, sed non citra alias turbas (Cap. I.) levato morbo, si medicina intempestive neglecta, vel alio errore commisso fluxus recrudescit, et febris denuo recrudescet.

Non negari quidem potest, febrem contracta iam alvo, et labe intestinorum fere sanata, aliquot insistere dies; at ignorare non oportet, omnem impetum in irritabilibus corporibus, sublata sua causa, non subito evanescere, sed paulatim potius deflagrare. Quotidiana saltem experientia id docere videtur. Dum subitaneus terror aliquem percellit, corpus vehementer movetur, sed quamquam pavidus sequente momento vanum timorem cassamque rideat terriculam, turbae tamen istae non incantatae disparent, sed paulatim componuntur. — In concentu musico, ex trium octantium subsiliente modo, in lentum lugubremque quatuor quadrantium subito transire, quis est musices minus expertus, qui difficile id non indicet? — Melius autem apparet, quantum systemati nervoso inhaereat irritamenti impulsio, si exsultans et agitata symphonia subito tacet; omnes enim auditores, nisi omnino plumbei sint, modum, huiusque numerum adhuc in corpore sentiunt

et haud raro nutando modulantur; quid? quod ii qui praesntim sunt apti ad hoc irritamenti genus, inexpugnabilem in suis membris persentiscunt saltandi pruritum. (*) Morbi porro periodici ex irritatione intestinorum orti, haud raro hac mitigata perstant. Memini puerum, qui caduco vexatus, foeda intestinorum illuvie ingenteque vermium agmine exturbato, rariores et leviores quidem patiebatur insultus, sed sanus non evasit, donec iisdem pharmacis, ab alio olim medico, insidente adhuc intestnis inquina-

---

(*) Sonorum irritamentum vehementius universum systema nervosum afficit, et tenacius ei inhaerescit, ac irritamentum radiorum lucis. Nihilo tamen minus reperiuntur homines (quamquam sunt rari) in quibus imagines obiectorum visibilium, quae nervos opticos olim affecere, denuo resurgant, et ipsos nervos opticos perinde afficiant, ac si obiecta illa revera adessent, eorumque radii revera retinam ferirent. Operae pretium videtur, talem casum satis memorabilem lectoribus narrare. Chiliarcha Borussicus de Ulrich vir octogenarius, cui oculorum acies satis bona, ut sine vitro oculari legere posset, cui mens sana in corpore sano, etsi belli calamitatibus et senecta rigido; ultimis vitae annis varias videbat imagines: milites nempe diverso vestitu et ornatu distinctos, quem admodum tales olim viderat. Cum diacta sua prope fluvium Nicrsam esset sita, quandoque ex fenestra copias cum calonibus et impedimentis fluvium traiicientes observavit, digitoque adstantibus singula monstravit. Interdum in hypocausto militum species sibi obversantes videbat, tunc vero imagines superne erant perquam distinstae, inferne lumborum tenus indistinctae, et in nebulam quasi diffluentes. Superstitiosus profecto talia phantasmata pro prodigio habuisset; Chiliarcha autem noster parum credulus tenuit, imagines istas in suo corpore potissimum esse sitas.

Similem fere casum memoriae prodidit *Perill. Hufeland* (Journal der practischen Heilkunde.)

mento, coeco consilio et (quod mirum non fuit) frustra datis, facile eum liberavi. Postquam integrum annum, optima fructus erat valetudine, sanus salvusque frigida corpus lavavit, et denuo concidit, insultus vero crebrius dehinc non est reversus. Ex hisce exemplis multisque aliis ubique obviis adparet, impetum in corpore ortum, remota sua causa, non celeriter componi, sed aliquod spatium interdum tenere. Si itaque in dysenteria oppilata alvo, febris adhuc dies binos ternosve perdurat, (*) hanc ideo pro morbo primario protinns habere non convenit.

Alter effectus adspectabilis, vel ex passionibus apparentibus facile explicandus et divinandus, est virium iactura. Oritur tam detractione humorum, quam irritatione solidi vivi. Verum equidem est, humorum copiam descendentem, illam non aequare, quae interdum in fluore ventris simplici deiiciatur; sed quia decumbentes parum assumunt, et quotidie humores perdunt, fieri non potest, quin debiles et macri evadant: quod vero attinet ad irritationem solidi vivi, haec perinde non alit.

Sed omnibus hisce curate trutinatis, non facile explicabitur, quare in dysenteria vires vitales tam celeriter convellantur. Humorum iactura est modica, febris non vehementissima, notis saltem non stipata suspiciosis, et tamen aegri intra paucos dies rapi possunt. Oportet itaque suscipere irritamenti alvini effectum inadspicuum.

(*) Id tamen perquam raro accidit, et non nisi in corporibus maxime irritabilibus.

Quaenam sind istae mutationes, quae ex intestinorum singulari irritatione in reliquam invehantur animalem oeconomiam, nescio; saltem maioris eas oportet esse ponderis, quam illae, quas manibus (ut ita dicam) contrectare possumus, quales sunt pulsus arteriarum frequens, sitis, calor, sudor, linguaque alba.

Nos certe, dum de irritamento loquimur, maioris vel minoris sui vehementiae gradus tantum putamus, et eam quidem ob rationem, quod mens nostra causam primam mutationum vitae actum constituentium quidem postulat, (quam vim vitalem appellamus) ceterum vero de huius causae natura omni notione caremus. An itaque suae naturae mutationes vel modificationes accidere queant, id extra fines humanae ratiocinationis habetor. Quum vero omne incitamentum in solidum vivum operans, vim vitalem afficiat, sequitur; omnem potentiam, quatenus virium momentum immutet, vel vires minuere vel augere. (*) Ex ista tamen notione augmenti vel detractionis virium, non nisi coacte explicabitur, quare morbus dysentericus intra paucos dies homines praecipitet.

(*) Duplicem hanc principii vitalis mutationem suscipere sana ratio suadet, quam etiam omnes medici nunquam non statuerunt. Cum vero de natura principii vitalis nihil prorsus sciamus, de omnibus mutationibus, quae suae naturae accidere possint, vix hypothetice disputandi vel fabulandi nobis erit facultas. Omne itaque incitamentum, quod neque mechanice neque chemice corpus afficit, quod neque vires evidenter minuere vel augere observatur, quod quandoque specifici nomine insignitur, unice ad empiricen spectat?

Omne incitamentum vires vitales convellens, duplex esse potest, vel vires immediate demit, vel solidi vivi actionem adauget, donec tandem vires ipsa actione exhaustae fatiscant. Qua ratione irritamentum alvinum in dysenteria vires suffodiat, difficile est dictu.

Irritamentum inmediate vires demere, dari non potest, notae enim desunt, quae hanc opinionem verisimilitudine fulcire queant. Vires saltem musculorum non prostratae cernuntur, omnibus aegris ad mortem usque mens constat, remedia quae in febribus cum virium languore iunctis conducunt, quale est vinum, amara, roborantia, adstringentia, in dysenteria non solum parum iuvant, sed noxam potius exasperant.

Statuendum itaque: in dysenteria, irritatione intestinorum, universae animalis oeconomiae actionem eo usque adaugeri, donec vires effetae, sustinendae vitae sint impares. Hanc opinionem suscipere hortantur phaenomena; haud raro enim notae virium prostratarum, qualis est pulsus arteriarum citatus, parvus, inaequalis, manusque frigidae subito adparent, ut inexpertus artifex interdum miretur, se in limine orci hodie invenisse aegrum, quem heri adhuc extra omnem periculi aleam positum crediderat. Quod si ista phaenomena cum effectu vini (de quo nemo dubitat, se adaugendo animalem actionem vires potius consumere, quam inmediate demere) in corpora humana comparamus; magna apparet similitudo. Ubi enim animalis oeconomiae actio, temeto supra modum aucta est, incidit tandem punctum, quo vires convelluntur. Plerumque id quoque subito et exinopinato accidit,

ita ut illum, quem modo blaterantem et exsultantem videras, sequente fere momento vacillantem, aliena balbutientem, vel profundo somno sepultum et mortuosum videas. Ubi porro ex inflammatione vehemente, actio animalis supra modum augetur, notae virium prostratarum, quando ad summum pervenit, subito oriuntur, et gangraena instat; quam quidem ob similitudinem ipse vulgus credit, plurimos qui dysenteriae succumbant, gangraena perimi.

Non ignorare autem oportet, hanc de dysenteria opinionem magnis quoque premi difficultatibus. Ut nempe vires tali modo convellantur, necesse est, non solum auctam, sed plane exorbitantem solidi vivi actionem virium iacturae antecessisse, et quo brevius est spatium, intra quod vires hac ratione prosternuntur, eo vehementior oportet fuerit solidi antegressa actio. In dysenteria vero ista actio non adeo vehemens videtur, atque necesse esset, ad inducendum intra breve spatium completam virium iacturam; multis enim in morbis, maior est solidi vivi actio validioresque motus, qui tamen aegrum non praecipitant, sed diu interdum trahunt.

Omnia ista mecum computans teneo: irritamentum dysentericum non solum non directe demere vires, non augendo solidi actionem eas tantum exhaurire, sed praeter virium momentum, alias quoque turbas, vel mechanismi corporis, vel materiae in censum esse ducendas. — Quaenam sint istae, non facile explicabitur; huiusmodi vero quid subesse posse, communis experientia suadet. Omne enim irritamentum non solum demendo vel terendo vires,

homines praecipitat, sed quoque turbando animalis oeconomiae mechanismum. Ubi quis pleuritide vera iugulatur, non virium iactura succumbit, sed actione pulmonum impedita strangulatur. Qui febre intermittente maligna apoplectica necatur, aeque non virium iactura, sed turbato corporis mechanismo interimitur. Vasis enim minoribus vehementer contractis, sanguis versus maiora regurgitat, et tam cordis quam pulmonum et cerebri actionem impedit. Vires vitales non sunt demtae, neque exhaustae, sed mechanismo corporis turbato sufflaminatae, unde mors accidit. Quid? venena quaedam, quae universum corpus irritant, suntne singularia, et prorsus specifica mechanismi turbamenta? Cantharides vesicam fistulamque urinae graviter afficiunt, virus canis rabidi musculos pharingis, mercurius fauces linguam et labia reddit tumida. Fortasse quoque irritatio intestinalis dysenterica, maiores subtiliori et latentiori corporis mechanismo movet turbas, quam oculo conspicere et ratiocinio eruere possumus. Si detractum ex suspendio cernis, non temere argues, vasa cerebri esse rupta, vel cerebrum vasis turgentibus tantum compressum, vel impedito aëris ad pulmones transitu mortem esse insecutam, nisi culter anatomicus, fluxas tuas divinationes vel confirmaverit, vel limitaverit vel reiecerit. Si vero in re tam contrectabili certi nihil definiri potest, multo minus quidquam in abstrusiore evincetur.

Recentiores duo tantum morborum genera agnoscunt, scilicet ex valore et debilitate. Sed perperam sane omnes noxae in angustos tales cancellos contorquentur, multa

duntaxat phaenomena non nisi coacte hac ratione explicabuntur. Febres ex. gr., quae certum observant circuitum, aliique morbi periodici plus minusve regulares, ex abnormi potius mechanismo, quam ex abnormi virium actione proficiscuntur. Quis enim est, qui morborum accessus, certo revertentes puncto, ex virium valore vel languore cum veri quadam similitudine deducat? — Omnes contra machinae artificiales, certum observantes circuitum, certo quoque et intra certum spatium revertente momento, a sueto motu declinare possunt. Si exempli gratia in tympanorum pectine dens deficit, vel huiusmodi quid mancum est, certo semper interposito tempore revertuntur inordinati motus. Quid? horologia nostra morbisne interdum laborant periodicis intermittentibus? An libramento leviore vel graviore, an chalybe plus minusve recellente moveantur, inde quidem tardior vel citatior motus oritur, vix autem periodicus inordinatus. Unde propter hanc analogiam persuasissimum mihi est, morbos certum observantes circuitum, a mechanismo potius, quam a virium mutato pendere momento.

Experientia id quoque testari videtur; interdum enim morbis infestantur corpora, quorum vires praesauciatae, et non obstante debilitate, pharmacis tantum debilitantibus sanantur. Ubique obvia sunt talia exempla, sed haud pridem est, ex quo mihi contigit, singularem huiusmodi observare casum. Mulier quaedam triginta circiter annorum, febre intermittente quotidiana plures menses vexata, et eo magis debilitata, quod puerum lactabat, a circumforaneo medicinam accepit, qua assumta febris

subito evanuit. Sed dolores artuum molesti, anxietates, aliaque taedia febre multo graviora, in eius vicem accessere. Lac quoque ex illa medicina non paulatim sed repentino ex uberibus disparuit. Postquam mulier tres septimanas hoc modo traxit, febris revertitur et aliquot septimanas perstat. Venter tumet, oritur tussis cum sanguinis sputo, et magna virium prostratio. Quis est, qui omnibus momentis perpensis credat, in exhausto tali corpore, pharmacis debilitantibus febrem posse fugari? — Factum tamen est; mulier enim opem rustici in illis regionibus medicinam facientis implorat, magnam accipit colocynthidis copiam, hanc bona fide devorat, oritur vomitus enormis, et alvi fluxus adeo vehemens, ut non ingens solum humorum quantitas, sed ipse cruor exturbetur. Febris est fugata. Alvus sua sponte non comprimitur, sed ultra quatuordecim dies cruenta fluit, summa oritur virium prostratio, ut aegra spondam exire nequeat, sed febris non revertitur. Tertia septimana miserrimam vidi, et denuo persuasus sum, interdum ad curandos morbos, vehementem conducere impulsionem, et parum interesse, an ista impulsio a potestate debilitante, an ab excitante sit profecta. (*) (Prudentis certe

---

(*) Intestini canalis adspectabilem mechanismum dysenteria esse turbatum nemo dubitat. Hanc ob causam medici habito potissimum respectu mechanismi dysenteriam sanare tentaverunt, et subinde hunc morbum ingestis vomitoriis, citaque hac ratione actione canalis adversaria, turbas subito composuerunt, morbumque extemplo suffocaverunt. De hac curatione, quatenus sit sospitalis, infra uberius.

medici est, omnia momenta probe trutinare, ne istos, quos a morbo liberat, in maiores praecipitet calamitates.)

Priscorum aliqui multos morbos ex turbato mechanismo, pauciores ex virium mutato momento deduxerunt. Non diffitendum tamen, se commenta potius quam veritates posteritati tradisse. Vasorum, meatuum, viscerumque obstructiones aliaque fabricae vitia, in luxuriante potius sua imaginatione quam in aegrorum corporibus locum habuere. Si vero recentiorum aliqui omnes morbos, vel ex debilitate, vel ex valore ortos credunt, id mihi aeque ridiculosum videtur, ac si rusticus, dum cometam in coelo cernit, hunc pro signo irascentis et minantis supremi numinis habet. Unica et optima huius phaenomeni haec sibi videtur explicatio, quia nniversi mundi mechanismum astrorumque momenta ignorat; perinde medici morbos ex superante vel deficiente vi explicant, quia animalis fabricae interiorem et latentiorem mechanismum ignorant.

Verum equidem est, in praesente medicae artis statu, dum impetu quodam, animalis fabricae turbas ad iustum ordinem redigit medicator, modum, quo id fiat, nescit, aeque ac is, qui, dum horologium suum noctu in mensa iacens a motu deficit, id altera nocte vertit, et cum capsula prona in mensam ponit, vel, dum interdiu a motu deficit, fortiter id concutit, et eo fortasse motum denuo suscitat; si habilis esset automatarius, bonus ille vir, certe horologium non concuteret, sed mechanismi vitia explorata levi opella corrigeret: omnia tamen ista, quae de morbis ex mechanismo turbato oriundis dixi, quamquam

in praesente scientiae humanae statu, de illis opinandi potius quam ratiocinandi nobis est facultas, in transitu tamen monuisse alienum non videtur. Vastum saltem patet therapeutices curriculum, interioris fabricae mechanismi momenta legesque, secundum quas inordinati motus subitanea impulsione celeriter ad normam redigi queant, investigaturo; non iucundum tamen, non temere emetiendum sed scopulis scrobibusque asperum; neque eluctantem seculi applausus, aeternaque fama, dulce eruditorum brabeum evehet ad Deos. Fortasse olim medicinae artifices latentioris mechanismi turbas accuratius rimaturi, dysenteriam quoque, virium momento susque deque habito faciliori negotio medicabuntur. (*)

(*) Fortasse irritatio dysenterica in ipsis intestinorum parietibus maximas movet turbas, vasa scilicet reddendo quodammodo paralytica, unde proinde in ipsis tunicis intestinorum gangraena. Qui vero credunt, talem gangraenam a praegressa inflammatione tantum oriri posse, pessime allucinantur. Ipse ego in externis corporis partibus talem vasorum cutis paralysin absque praegressa inflammatione observavi, talemque casum olim descripsi. (Journal der practischen Heilkunde von Hufeland XVI. Band 1 Stück p. 58)

De hac re legi meretur *Thomas Cowley* (Lond. Med. Journal vol. VII. p. 4, et Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte) qui in cadavere, vasa intestinorum tenuium sanguine turgida invenit, perinde ac si sanguis siphone anatomico eis fuisset iniectus. Idem auctor tunicas intestinorum vidit ulceratas, lumen eorum constrictum, sciromata in mesenterio, liene, omento, imo intestinum ruptum. Similes observationes collegit *Donald Monro* (Sammlung auserlesener Abhandlungen Tom. V.) item *Th. Bartholinus* (Epist. Med. Cent. IV. Epist. 87.) Quid quaeris? Plurimi in cadaveribus viscerum destructiones invenerunt.

At non solum fabricae vitia, sed sanguinis aliorumque etiam humorum corruptio, omnem meretur attentionem. Equidem non ignoro fuisse, qui ad corrigendam putredinem acidum sulphuris, corticem chinae, aliaque pharmaca optimo cum successu aegris dederint; sed tantum abest, ut illa experimenta omnem absolvant numerum, ut indigitent potius, quantis adhuc prematur tenebris, animalis latentior oeconomia. Quid? Quaenam est putredo in corpore vivente? Qualis corruptio? Quarum partium dissolutio? Qualis novarum et alienarum productio? Quaenam inter humores corruptos acidumque aliave pharmaca mutua affinitas? Omne id ignoramus, et praecepta proinde clarissimorum virorum non solum non perpetua esse possunt, sed etiam ubi sequi ea iuvet, non ratiocinatione, sed cauto tantum experimento explorari poterit. Ego saltem (quod infra prolixius commemorabo) acida omnia, summe novica deprehendi, et tam corticem chinae quam alia amara et adstringentia parum conducere triplici lue didici.

Quid? An id circo sanguis aliique humores omni aliena corruptione fuerint immunes? Id non facile coëgerim ex meis experimentis. (*) Uti enim multae prostant acri-

---

(*) Fortasse ipsa materia virulenta contagiosa si nimis magna copia generatur, omnes humores contaminat, et ipsum vitae principium instar veneni narcotici suffocat. Saltem ii, qui in vitae periculo versantur, facilius alios ea labe inficiunt, quam qui leviore morbo laborant. Imo *Degner* inquit p. 35; „ plures ab iis, „ quorum morbus exitialis fuit, infecti sunt, quam ab aliis, qui „ a morbo convaluerunt; gravius etiam affligebantur, et curatu

moniae, quae affuso acido omnino non mitigantur, ita fortasse ubi dysenteria corpus aliquod affligit, humorum oritur alienitas perniciosissima, vires vitales intra breve spatium sufflaminans, quae tamen adiecto acido non tollitur neque corrigitur. Quum nostra aetas tanta tamque stupenda solertia chemicam excolat artem; sperandum, olim affore, tempus, quo humorum qualemcunque morbosam misturam rite exploratam apta medicina corrigentes, non solum dysenteriae sed multis aliis noxis faciliori negotio medeamur.

Eousque quidem fluxae coniecturae, medendi rationem superstruere, alienum foret; (*) — liceat tantum disputantibus in vasto medicinae campo ridentes contemplari prospectus.

„ erant difficiliores, qui a moribundis, quam qui a convalescen-
„ tibus infecti sunt. "

(*) Multoties id tamen factum est. Illi ex. gr., qui ex coeli mutatione bilis corruptionem alcalinam, putridam etc. deducunt, tantum abest, ut hac ratione bilis corruptionem demonstraverint, ut docta potius insomnia narrasse videantur. Ubi manum igni admoveris, combureris; ubi laevus natator in undas praecipitem te dederis, suffocaberis. Harum potestatum effectum compertum habemus; aliarum vero, imo plurimarum efficientiam divinamus tantum. Quomodo ergo ex potentiis nocentibus morbi natura demonstrari et tali demonstrationi curatio superstrui possit, arduum est intellectu. Non improbaverim quidem disputationem circa potestatum nocentium efficientiam, modo disputantes intelligant, curationem rationalem tali disputationi coniecturali non temere posse superstrui.

CAP. III.

De praecavenda dysenteria. (*)

Postquam de natura et causis dysenteriae disputavimus, instituti nostri ratio postulat, de valetudine tuenda quidquam proponere. Quamquam secundum Cornelium Celsum, sanus homo qui et bene valet et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico neque iatralipta egere; est tamen observatio quaedam necessaria, qua quis lue grassante utatur, quoniam tali tempore potentiae quaedam latentes in universum corpora afficiunt. (Cap. II.)

Ad valetudinem tuendam conducit curiosa evitatio causarum, quae morbo ansam praebere consuerunt. Omnis vero potentia, quae quidquam in corpore sano mutat, causa dysenteriae esse potest; cum enim ultra sanitatem valetudo mutari nequeat, certe ubi mutatur, in deterius vertitur, et grassante dysenteria tantum non semper in hanc transire consuevit. Quatenus tempestas varia dysenteriam faciat, supra posuimus, difficile itaque non erit, qua ratione ista morbi causa evitetur tradere. Sunt, qui

(*) Grassante lue medicus nusquam non interrogatur, qua ratione morbus evitari queat. Universalia praecepta parum iuvant; oportet medicus sciat, quales circa diaetam errores sint vulgatissimi, hominesque de his praemoneat. Talis praemonitio, docta disputatione longe est utilior. In hoc capite illos errores potissimum allegavi, quos plus vice simplici dysenteriae ansam dare memini, praeceptaque, quomodo evitari debeant, subiunxi. Docta non sunt ista praecepta, sed ad praecavendam dysenteriam utilia.

satis fecisse putant, si corpus exaestuans frigori non exponunt; haec autem praecautio omnem non absolvit numerum. Non enim corpora solum exaestuantia et sudore digesta, sed composita quoque, et sueto tantum calore animali fota, subito frigore male afficiuntur. Neque necesse est, frigus diu in corpus operetur, unico tantum ad contrahendam aliquam labem opus est momento. Quotidiana id docet experientia. Tussiculosi exempli gratia, eodem fere memento, quo perflatui corpus exponunt, tussire coguntur, quibus vero fistula urinae praesertim irritabilis, hi protinus crebra et inani mingendi cupiditate vexantur.

Plurimi celerem hanc frigoris impulsionem ignorant, corpus diligenter vestibus contegunt, sudantes perflatum vitant, et sedulo crepusculum cavent; sed si fortasse hora antelucana militum turma plateam transit, tympanorumque bombus eos expergit, ecce! qui nudis pedibus lecto exsiliunt, invisum et inauditum contemplaturi spectaculum. Tali levitate, haud raro noxam, summo studio ex anxietate evitatam uno momento contrahunt.

Ad praecavendam luem; non tantum anxia et angusta cura, quam sedata potius attentione opus est. Exeunte aestate hic locorum tempestas est varia, diurnum calorem magnum, vesperi ingratum plerumque excipit frigus. Interdum tempestate calida, ventus surgit perquam frigidus, imo subinde dies bini ternive frigidi et pluviosi calidis intercedunt, ita ut cum heri aestus nos pressit, hodie ad focum sedeamus. Qui suae spontis est, facile harum vicissitudinum nocivam evitare potest effi-

tientiam. Mane paulo diutius in lecto se tenere iuvat; ut diluculi frigora evitentur, aurora enim tali tempore non est Hygeae amica. Si id vero fieri nequit; vestimentis paulo calidioribus obtegere corpus tutum est.

Neque sufficit ventrem et pectus fovere; oportet etiam pedibus prospicere. Bona pars hominum mane crepidata circumcurrit, genualibus braccae solutis ac periscelide in abaco relicta. Parum tamen iuvat truncum fovere, si pedes negliguntur; tutius est protinus ocreas induere; vel calceos obstragulis fibulatis. Mulieres, quae propter calorem aestivum femoralia posuerunt, ea recipiant, et quae more seculi amictu araneo utuntur; pallam superaddant. Interdiu si quis domo tenetur, levius se vestire alienum non est, quippe vehemens sudatio luem non avertit, sed cutim reddit sensibiliorem, unde maior ad morbum opportunitas. Mulieres vero negotiosae, si interdiu frigidarium intrant, denuo amictorium sibi iniiciant, temperaturae enim vicissitudo transitu ad ista loca maxima ac perniciosissima esse consuevit.

Iter quoque facientibus quaedam observatio est necessaria. Pedes parum periclitatur, quippe qui se dimovendo refrigerationem vitat. Modo abstineat ab umbra; et si domum revertitur vel in cauponam vesperi deversitat, ad focum in culina sedeat, et modicum spiritus vini vel frumenti haustum capiat. Quisquis vero equitat; pallium sumat, quo frigore oborto corpus contegere possit. Si nihilominus crepusculum sibi ingratum videtur, sensusque horridulus membra percurrit, tutius est tolutim cedere, ut succussatura corpus incalescat; si vero id propter de-

terrimam viam fieri nequit, oportet ad primam cauponam sustinere gradum, et vinum bibere vel spiritum, donec horror evanescat. Qui curru vehuntur, praesertim vestimenta prospiciant, cadente enim vespera, maxime periclitantur, quoniam ista commotione corpus non incalescit. Melius est carruca uti, quae frigore suadente claudi possit, quam cisio aperto. Qui amoenitatis causa spatiantur, sibi caveant, ne sudantes in umbra recubent. In flumine quoque vel in stagno navigare alienum est, raro enim spatiantes vestimentis idoneis sunt provisi, ut corpus ambulatione desudans, in lintre contra auram ingratam defendere queant. Si talem vero navigationem evitare urbanitas non permittit; optimum est, in transtro protinus considere et remigare, vel contum arripere, ut labore refrigeratio avertatur.

De infantibus parva observatio est. In hos identidem noctu perfrictio cadit; inquieti enim et somniantes stragulum lecti deculcant, et nudi dormiunt. Si adhuc ubera sugunt, necesse est, mater vel cunaria crebrius noctu ad eos invisat; si vero maiores sunt natu, sibique noctu relicti, stragulum in utroque latere ad cunas vincire iuvat, ut somniantes corpus denudare nequeant.

Proximum est, ut de esca disseram. Cum vero multum referat, an intestinum sit firmum an debile, perpetua praecepta non temere aliquis condet.

Cui intestinorum canalis firmus alvusque parum mobilis, huic non opus est suetis cibis quidquam detrahere, vel addere, ultra modum tamen ventrem implere

parum conducit. Maxime omnes semper commoneo, ut diligenter recordentur, qualia esculenta facile ferant, quibusque laedantur, quo his vitatis illa assumant.

Nosse quoque conducit, an intestinum sit irretabile tantum, et inflationi obnoxium, an ad fluorem quoque pronum. Primum turbatur variis oleribus et pomis, quibus tum abstinere iuvat; insequens curatiorem exigit observationem.

Sunt, quibus ex sola irritabilitate intestinum ad fluorem vergat; alii facile acrimoniam in ventre contrahunt, unde alvus fusior. Illi nimiam satietatem caveant, in prandio aromata assumant, quae alvum comprimunt, qualis est nux moschata et cinnamomi cortex; post prandium paululum meridiari alienum quoque non est. Quos vero aciditas infestat, abstineant quantum id fieri potest, ab omni olere, legumine, et pomis, vescantur potius carne assa succulenta, pane candido hesterno, ovis hapalis similibusque. Ozypora omnia, embammata composita, et scitamenta his corporibus sunt infensa.

Quod vero attinet ad potum, tutissimum est, abstinere ab omni potione refrigerante, qualis est aqua cum succo citri mixta, vel cum vino. Cerevisia probe fermentata conducit, perinde vinum generosum. Qui acido intestinorum vexantur, vina acida, Rhenanum et Mosellanum fugiant, utantur potius Burgundico optimo vel Burdigalensi vel Malacensi vel Campanico rubro non mussante. Vappa omnibus corporibus est nociva. Spiritus vini vel frumenti alienus non est, si assumitur, dum quis

multo mane in forum prodire volit. Sunt quidem, qui vinum vel spiritum magna quantitate bibant, sibique persuadeant, tali intemperantia luem praecaveri. Pessimus tamen est error, nam asotia corpus contra luem muniri nequit: strenuos bibones dysenteria affectos observavi.

De animi motibus non est, quod multum disseram. Officium medici est, formidolosorum animos probabili ser- sermone lenire, praesertim decumbentibus diligenter opem ferre, quo secunda brevi eis contingat valetudo; quot enim sanaverit, tot habebit medicae artis praecones, pavidique animum recipient.

Qui valetudinem suam tueri satagit, omnia fugiat medicamenta, quae alvum movent. Quoniam vero inter populum consuevit, ad praecavendam dysenteriam antidota quaedam assumere; optimum est, ubi quis talia efflagitet, corticem cinnamomi, nucem moschatam, corticem winteranum, similiaque aromata in lagenam coniicere, spiritum vini vulgarem superinfundere, et hanc tincturam propinare.

De opportunitate ad dysenteriam nihil disputabimus, dum enim, causas, a quibus pendeat ignoramus, arduum omnino foret, qua ratione evitari possit, tradere.

At contagio curiosam meretur attentionem. Tutissimum videtur, ut is, cuius provincia non est aegros adire, eos quoque non invisat. Si vero id propter familiaritatem vel cognationem evitari nequeat, ut saltem non diu ad lectum decumbentis moretur, tandem ut vini vel spiritus haustum decumbentes visitaturus capiat. At si quis

in domo aliqua aegrotat, protinus oportet ad cubiculum singulare eum ablegare; si vero aedis angustia id non permittit, saltem eo videre, ut matula, vel sella familiarica crebo lavetur, ut cubiculi aër subinde repurgetur fumigio, vel, quod omnino melius est, perflatu. Quo homines reddantur tuti adversus contagium, optimum est, dysenteriam in unoquoque corpore, in quo sui praecursores adparent, confestim supprimere, antequam suetam induerit formam. Quo magis enim labes olescit, tanto maior veneni copia producitur, tantoque maius contagionis periculum.

Ad compescendam in loco aliquo luis ferociam, suppressione nec tutius nec praestantius auxilium. Quum vero de supprimendi ratione in transitu disputare non sufficiat, quippe quae singularem deposcat observationem, in calce libelli eam sigillatim proponere constitui.

Artifices tandem commoneo, ne in istis locis, ubi medicinam faciunt, magnum de dysenteriae contagione moveant rumorem. Sunt quidem, qui vel propter avaritiam, vel ut plus praestitisse videantur, parvam rem attollant, et ubi morbus aliquis contagiosus caput extulit, tantum hic illic de imminente periculo deblaterent, ut formidolosi pestilentiam increbruisse putent. Id vero probum non decet medicum; sani enim expavescunt, et aniculae aegris ministrantes, mercedem exaggerant. Crebrius tamen egent hisce ministris cives quorum facultates mediocres, quam divites magno famulitio provisi.

Neque decet medicum ipse contagionem timere. Oportet, inquit Celsus, » considere vultu hilari, pauxillum

» cunctari, et probabili sermone animum aegri lenire, « ac si id quoque propter decumbentium numerum quotidie fieri nequit, fiat saltem interdum. Si enim artifex aegrum accedere abominatur, animumne aeger et amici abiiciant? — Pauperibus praeterea magno est solatio, si medicus eos accedit, et amice de valetudine fabulatur; sancte duntaxat praecepta sua sequuntur; cum contra medicum, qui ex longinquo adstans, cum cipione doctorali vela spondae adlevat, vultuque nauseabundo in decumbentem inquirit, parvi pendunt, eiusque praecepta negligunt.

Non diffitendum tamen, officium medicatoris tali tempore esse perquam molestum. Aegros visitare, si cubicula interdiu probe sunt purgata, id ingratum non est nisi delicatulo.

At; si ruri aegros horis antemeridianis visitaturus, urbicos multo mane inviso, antequam dormitoria perflatu sunt purgata, tunc pauperum praesertim tuguria intrare, taediosum est opus. Aër nimirum est corruptus, tepidus, vix respirandus, corporum sudantium effluvia, stercus in matella, et male exstinctum lucernae linamentum cum longo fungo, aversabilem spargunt odorem: sed quid faciendum? — Philosophi credunt, interpositis molestiis, voluptates vitae alioquin taedio nos confecturas relevari: quisquis proinde foetutinas mane intravit, maiori deinde cum voluptate ad odorum formosae mulieris abacum considet.

CAP. IV.

De curanda dysenteria.

Proximum est ut dysenteriae curationem proponam. De morbi natura capite secundo disputavimus, medendi itaque rationem superstruere, difficile non erit. Irritatio morbosa praecipuum est dysenteriae momentum, compescendo proinde hanc irritationem, omnis absolvitur indicatio medica.

Cum causae omnes remotiores eatenus dysenteriam faciant, quatenus quidquam in corpore sano mutent; in curanda lue tantum proinde in censum ducendae sunt, quatenus praesente adhuc momento in corpus aegrotum agant, non quatenus quidquam in corpore mutaverunt, morboque ansam praebuerunt; (*) siquidem causis non medemur, sed morbis. Cum ipsa irritatione et aucto in-

---

(*) Sunt, qui investigatis causis remotioribus, his praesertim curationem superstruant. Cum vero omnes tales causae, mutationem quandam in corpore procreent, ista mutatio potius in censum ducenda est. Exemplo id illustrabimus. Si quis exponendo corpus exaestuans aëri frigido, rheumaticos dolores contraxit, tunc accommodando curationem huic causae, optimum esset auxilium, aegrum stragulis operire, et ingestis sudoriferis et potionibus calidis sudorem elicere. Talis vero curatio (vulgatissima quidem) multoties frustra periclitatur, imo subinde rheumatismus hodie hoc auxilio fugatus, cras vel perendie recurrit; aeger haud raro integros menses trahit, et labilis demum evadit. Propinato contra acido sulphuris, illud taedium multo breviori tempore et perfectius quoque sanatur, quippe acidum sulphuris cutis eximiam irritabilitatem minuit. At si causae, quae morbo alicui ansam dederunt, accedente medico adhuc in corpus operantur, tunc omnino absonum est eas non respicere.

testinorum motu, virus contagiosum multiplicetur; sequitur, sufflaminando motus intestinorum abnormes, generationem viri animalis impediri.

Cum mucus, cruor, aliaque excrementa aliena, ab irritatione intestinorum producantur; sequitur, hac mitigata, illam secretionem sponte cessaturam. Cum stercoris retentio a vehemente irritatione, intestini lumen constringente proficiscatur; irritatione sopita stercus facile descendet. Cum febris non sit morbus primarius, sed ab irritatione intestinorum potissimum pendeat; hac cicurata illa evanescet.

Cum virium prostratio et mors subita, ab irritatione intestinorum proficiscantur; oportet, etsi ignoramus quatenus inde pendeant, irritationem brevissimo compescere spatio. Cum irritatio intestina, chemicam rodentem et palpabilem acrimoniam neque producat, neque pro sua causa agnoscat; medicamenta evacuantia, causam irritationis non everrent, irritationemque ipsam perinde non mitigabunt. (*) Cum plurima medicamenta evacuantia intestinum vellicent, irritationemque omnem augeant; se-

(*) Etsi in morbis popularibus Cap. I. descriptis excrementa nullam dederunt acrimoniae rodentis et nocivae suspicionem; nihilominus ex experimento Cap. II. allegato (quod perill. Humbold instituit) apparet, irritamentum inadspicuum, acerrimos et rodentes humores posse procreare. Quare palam est, id quod modo dixerim, perpetuum vix esse. Prudentis saltem est medici, in diiudicando hoc momento omnem adhibere praecautionem, et si in alterutra parte rationes suspicabiles non praeponderant, in adhibendis auxiliis suspenso gradu procedere.

quitur, dysenteriam eo exasperari, virique animalis generationem iuvari. (*) Cum omnis irritatio auctam solidi actionem supponat, haec vero auctam vim; sequitur, detractione virium, irritationem istam posse mitigari.

Cum vero praesentibus auctae actionis notis, aucta vis vitalis certo nondum sit posita; quippe corpus animale non solum vi vitali est praeditum, sed (quatenus ex materia ad normalem quandam formam efícta et ad normales motus accomodata constat), aliis quoque legibus physicis est subiectum, aliisque viribus tam a normali forma quam a materiae mistura pendentibus instructum: disputatione quidem erui poterit, an aucti motus a superante vi vitali, an a mortua (sit venia prisco vocabulo) proficiscantur; nihil tamen absolute certi evincetur, nisi argumentatio cauto obsignetur experimento.

Quo autem suetum in scribendo ordinem observemus, liceat experimentis nostram sententiam praemittere. Tenemus: irritationem intestini, a superante vi vitali in hocce organo proficisci, detractione virium posse mitigari.

Quoniam vero turbae reliqui corporis, ab irritatione intestinali originem trahant, necesse non esset vires universo corpori detrahere, sed tantum parti affectae. At corporis fabrica ita instructa est, ut in uno organo vix quidquam mutari possit, quin totum eo afficiatur. Detrahendo itaque vires organo intestinali, universum corpus afficietur; quod quidem in praesente artis humanae statu evitari nequit. Oportet vero eligere medicamentum,

(*) Id perinde perpetuum non esse, loco idoneore ostendam.

quod, quamquam in universam animalem machinam operetur, specifica tamen qualitate, intestinum praesertim afficiat, huiusque actionem exorbitantem compescat. Ex horum vero medicaminum tribu, opium facile aliis palmam praeripit.

Duplex de hoc pharmaco inter medicos est sententia; alii credunt, vires vitales directe eo demi; alii, actionem solidi vivi eo adaugeri, donec viribus ipsa aucta actione exhaustis debilitas incidat, quam artis vocabulo indirectam, illam directam vocant. Quia de hac discrepantia alio loco prolixe satis disputavimus, modo primam sententiam cum aliis claris viris accipere nobis placet, (*) neque timemus quemquam nobis id succensurum.

Positis indicationibus medicis videndum est, qua ratione natura morbo nostro medeatur. Omnis vero vehemens irritatio, modo aegrum non iugulet, sua sponte, ubi ad summum pervenit, paulatim componitur; vires enim vitales sustinendae vehementi actioni tandem sunt impares, unde tardior motus. Cum vero ipso exorbitante motu atterantur; palam est, naturam ipsa vehemente solidi actione morbo mederi.

Talis vero sanatio multoties imperfecta esse consuevit; actio enim exorbitans, non semper ad sanitatis normam redigitur, sed tantum minuitur, unde revalescentes tamdiu trahunt, donec fabrica animalis ad inordinatos organi

---

(*) Inter recentiores C. L. Hoffmann ingeniose defendit hanc sententiam, vide *C. L. Hoffmanns vermischte medicinische Schriften, herausgegeben von H. Chavet* 3 *Theil.*

alicuius motus adsuescit. Si vero organum excernens irritationem vehementem passum est, anceps oritur sanatio. Dum enim organi actio, ad sanitatis normam non redigitur, secretio, fracto morbi impetu manet copiosior, unde corpus, nisi ad eam adsuescat, paulatim consumitur.

Quod vero attinet ad dysenteriam, haec interdum sua sponte subito evanescit. Si nempe intestinum rectum solummodo fuit affectum, cessante ista irritatione, alvus solvitur, stercus sanorum simile, haud raro compactum descendit, et aeger confestim a morbo est liberatus. Talis vero morbus, levioris est notae, et nostris regionibus malum ut plurimum altiores egit radices. Plerumque sanguis et mucus ultra quatuordecim dies descendunt, et aeger admodum male se habet. Deinde irritatio incipit deflagrare, et stercus liquidum descendit, vel cum cruore et muco mixtum, vel sincerum; hoc tamen pacto, ut nunc deiectio sit cruenta mucosa sine stercore, nunc stercorosa sincera. Tali modo deiectiones aliquot dies varíant, plerumque tamen unam stercorosam, binae vel ternae cruentae insequuntar. Postea cruor non amplius descendit, sed faeces liquidae. Deiectiones tamen sunt numerosae, et aegri vires eo atteruntur. Cibi cupiditas est exigua, et assumta esculenta brevissimo interdum spatio indigesta excernuntur. Paulatim deiectionum numerus minuitur, stercorosae pultes deinde, tandem excrementa spissa descendunt, redeunte secunda valetudine. (*) Haud

(*) *Degner* in libro de dysenteria contendit, naturam solam dysenteriae sanationem perficere non posse, *Cap. II*, §. *LXXI.*

raro tamen, qui hac ratione evadunt, variis inordinatis intestinorum motibus et inflatione longum tempus vexantur. Omnibus vero mediocris talis valetudo nequidem contingit, sed alvus vel in perpetuum liquida fluit, vel saltem minimo irritamento movetur. Novi equidem, qui plures annos post superatum morbum taediosa inflatione vexati, nequidem spiritum ex inferiori parte (braccam scilicet coinquinare timentes) emittere audeant.

Prisci medicum naturae ministrum nominaverunt. Naturae nempe in medendo operationem observare, eademque via insistere, hoc modo brevissimam et tutissimam medendi rationem invenire debet. Naturae enim esse ministrum, non significat, sanationes spontaneas desidiose tantum observare, et vel nulla medicamina, vel talia so-

---

inquit, „ non vero est in potestate naturae, ut fermentum lethi-„ ferum ipsum, motibus suis qualibuscunque aut corrigat, aut ad „ illa emunctoria mittat, per quae efficaciter secerni aut excerni „ possit. “ — Hic Degner manifeste contra vulgarem experientiam loquitur. Acrimoniam dysentericam multoties in hoc libro cum veneno comparat, imo arsenicalem eam vocat. Obliviscitur proinde hoc loco, naturam solam complures invitos sospitasse, qui ipsum arsenicum larga satis quantitate devorassent, ut mortem sibi consciscerent, cuiusce rei ipse vidi exemplum, taliaque rara non esse puto. Deinde si natura eliminandae bili usque quaque fuisset impar, sequitur omnes medicorum opem respuentes, qui uti nusquam non, ita sine dubio Neomagi quoque sunt reperti, illa dysenteria esse exstinctos. Hic proinde altera vice contra vulgarem experientiam pugnantia profert doctissimus auctor. Cum enim ex ipsa pestilentia, tales, auxilia medica detrectantes quandoque emergant, vero non est simile, dysenteriam Neomagensem omnes iugulasse. *Zimmermann* similia fere profert non maioris tamen momenti.

lummodo dare, quae nihil efficere possunt: sed sanationes spontaneas idcirco sedulo observamus, ut naturae in sua operatione subvenire, hanc abbreviare et perficere possimus; et quo liberior est artificis animus ab hypothesium compede, eo maiorem ex curiosa naturae observatione colliget frugem. Indicationes medicae supra positae, ex naturae potius observatione, quam ex hypothesi resultant. Tramitem a natura monstratum legimus, hac tamen differentia, ut, quod illa operatione longa et taediosa perficit, breviori, tutiori, et iucundiori modo perficiamus.

Omnis irritatio, ubi ad summum pervenit, paulatim fatiscente vi vitali in organo affecto componitur. Nos opio directe vires detrahimus organo affecto, irritationemque compescimus, quo fit, ut breviori spatio secunda redeat valetudo. Quoniam vero non vehementia solum, sed quoque diuturnitas morbi multos iugulet, palam est, arte medica servari multos, sola medicante natura utique non servandos. Postquam curandi methodum, quam lectori proponam, a vana suspicione, ac si coeco et imprudenti sit superstructa consilio (quod quidem viri haud mediocriter in arte versati opinaverunt,) vindicavi,) ad ipsum medendi artificium transeamus.

Si proinde aliquis morbo dysenterico populari affectus opem meam implorat, qui neque puer neque capularis est senex, sequentem ei propino potionem, R Gummi tragacanthae grana quindecim, solve in aquae unciis septem, adde tincturae opii guttas centum, huiusce medicinae singula hora unum cochlear capit aegrotus. Effec-

tus respectu corporum est diversus; ut plurimum tamen deiectionum numerus et tormina protinus minuuntur. Si fortasse ante assumtam medicinam quinquagesies aeger intra diem noctemque desederat, sequente die quinquies tantum vel quater desidebit. Qui talem medicamenti effectum prima vice in nostro morbo observat, huic curatio facilis, iucunda, intra paucos dies absolvenda videbitur, opii minorem dabit quantitatem, vel (quod multis accidit) non amplius necessarium credet. Sed malus est error; ubi enim aequae huius medicaminis quantitati quidquam detrahitur, deiectionum numerus denuo augetur, doloresque recrudescunt. Multi propter insecutam novam talem exasperationem, praecoci plane iudicio, opium pro inefficaci medicamento in dysenteria habuerunt, et id publice proclamare non dubitaverunt, quo factum est, ut bona pars medicorum, divinum hocce pharmacum, temporarium solommodo aegris adferre levamen autumantes, vel ab eo plane abstinuerint, vel ad sopiendos vehementissimos tantum dolores urgente necessitate adhibuerint. (*)

(*) *Degner* in libro suo *Cap. II.* §. *LXX.* inquit, » ancipitem imo fatalem eventum, praematurum et largum eorum (scilicet narcoticorum) usum habuisse observatum est, » sedium enim et dolorum induciae, quas afferebant, admodum » fallaces erant. Reddebant medicum et aegrum solummodo securos, ut inimico malo minus quam oportebat, obviam iretur, » interea alterum sempiternus somnus oppressit, alter inflammatione correptus interiit, aut alvi fluxus per illa ad aliquot horas » vel dies suppressus dein copiosior redibat. « Hic ergo sedium et dolorum inducias opio factas, fallaces dicit Degner. Nullus dubito eas fuisse fallaces, sed quare id fuere? Quia medici tum

Deiectionum numerus quamquam primo die post assumtam medicinam minuitur, quae excernuntur, aliena tamen manent, taliaque persistunt ad quartum usque diem, tunc, serius ocius excrementa stercorosa descendunt, et

---

naturae morbi tum virtutis opii ignari, induciis factis, morbum victum crediderunt. Opium proinde non est inculpandum, sed ipsi medici. *Aliquos*, inquit, *sempiternus somnus oppressit*; id libenter credo; sed supra §. XXVII. dixit, post vomitorium administratum, morbum in quibusdam esse exasperatum, vires defecisse, eventumque tunc fuisse lethalem. Hos adeo, perinde sempiternum somnum oppressisse puto. Auctor vero hunc eventum vomitorio non tribuit, opio autem eunden tribuere nullus dubitat. Ecce theoriae effectus! aequus arbiter levi pede tales observationes non transit. Absonum profecto videtur, eundem lethalem eventum (nam nihil interest, utrum quis dormiendo vel cacaturiendo moriatur) nunc medicamento, nunc morbi vehementiae tribuere. Si Degner nocivum opii effectum ex suis experimentis deducit, adversarius ex ipsissimus Degneri experimentis nocivum vomitorii effectum eodem iure deducere poterit. — Alvi fluxum post horas et dies copiosiorem rediisse, non probat, opium nocivum fuisse, sed probat potius medicos opii effectum utique ignorasse. In dysenteria simplici, admodum difficile est, inducias aliquot dierum impetrare; in dysenteria itaque, quae acrimoniam biliosam rodentem pro sua agnoscit, id multo difficilius esse, sana ratio accipere suadet. — Ubi ergo tales induciae fieri possunt, ibi bilis duntaxat arsenicalis esse nequit; et Degner fortasse perspecta et rite explorata opii virtute, et adhibitis cautelis necessariis, ex induciis aliquot dierum, pacem perpetuam facere, aegroque brevi sanitatem conciliare potuisset. De aliis auctoribus disserere spatium non permittit, plurimi autem, qui ab opio abhorrent, eius virtutes parum noscunt; talis exempli gratia Zimmermann opium cum medicamentis adstringentibus in unam farraginem coniicit, quod tamen nemo faciet, nisi hospes in arte medica.

quidem tenerrima, haud raro muco virgisque cruentis commixta.

Quo magis primis diebus sedium numerus minuitur, eo ocius ceteris paribus stercus descendet. Bonum nimirum est, si aeger primis diebus ter vel quater tantum desidet, melius est si semel tantum, optimum si ex toto alvus non movetur, (est tamen hoc casu observatio quaedam necessaria, quam deinde, de minuenda vel augenda opii quantitate locuturus tradam.) Sunt, qui cum stercus descendit, morbum superatum credant; ego autem omnes, qui hoc malum ipsi non crebro observaverunt, diligenter communeo, ut eadem intrepidi insistant via, eandemque opii quantitatem porrigere continuent; ubi enim negotiosi nimis eam circumcidere properent, magno cum aegri detrimento deiectiones increbrescere videbunt. Imo haud raro stercus deinde non amplius descendet, sed denuo cum cruore mucus. Interdum, ubi talis error est commissus, aucta opii quantitas confestim intestini constrictionem denuo reserat; interdum vero pertinacior est constrictio, ut denuo bini ternive dies ad eam resolvendam requirantur. Hanc ob rationem tutius omnino est, idoneam opii quantitatem non minuere, quamquam enim stercus liquidum descendit, morbus tamen nondum est superatus, multis enim, imo quamplurimus qui huic labi succumbunt, (modo non celeriter rapiantur) alvus stercorosa ad mortem usque fluit. Tantum abest, ut haecce deiectionis mutatio (fausta caeteroquin) aegrum extra periculum collocet.

Plerumque tamen primam deiectionem stercorosam (quam subinde multa tormina praecedunt,) post exiguum temporis spatium, altera cruenta vel mucosa insequitur; ipse enim stercoris descensus, intestinum admodum irritabile proritat, unde denuo vehementior luminis constrictio. Post primam itaque deiectionem stercorosam, protinus dare unum cochlear potionis supra memoratae, quamquam horarium spatium nondum sit elapsum, eximie iuvat; eo enim intestinum, expulsione foriorum commotum confestim tranquillabis.

Hoc quidem stadio, dysenteria fluorem alvi simplicem similat, sed nihilominus hoc multo pertinacior est, multo maiorem requit opii copiam, longiusque ad curandum tempus. Etsi enim opii quantitatem supra positam, quavis hora propinas, stercus tamen manet fluidum, et tale octo, interdum decem dies persistit. Aeger bis, vel ter, vel quater die desidet, praecedente sensu ingrato in ventre. Si quis opii virtutes probe noscit, morbi vero naturam ignoscit, is hercules de comprimendo ventre desperabit; sed oportet moderare impatientiam, et tempori aliquid committere, multi enim exstant morbi, quos non protinus confodere, sed speculabundi circumvenire debemus. (*)

(*) Illi, qui in universum de dysenteria disputantes, eam pro morbo intestini plenioris habent, ex mea sententia non parum allucinantur. Verum est, quandoque intestinum crassum tantum aegrotare, tunc vero hac irritatione tranquillata, alvi fluor neutiquam est pertinax, sed vel sponte, vel levi opera compescitur

Primae deiectiones stercorosae fere semper odorem spargunt putridum, eo tamen terreri non convenit; normali enim intestinorum actione et humorum in hoc organo secretione, ingesta a corruptione vindicantur; turbato itaque legitimo motu et humorum secretione, fieri non potest, quin stercus corruptionem aliquam subeat, praesertim cum propter intestini in inferiori parte constrictionem, diutius fuit retentum. (*) Non timendum tamen, ne ista corruptio aliquam corpori inferat noxam; adest enim in intestinorum canale nimietas motus, ac reserata luminis constrictione, omnia contenta, deorsum vi quadam propulsa, sponte et copiose eliminantur: ita ut hoc quoque stadio remedia alvum purgantia (esto, noxam non exasperent) supervacua tamen prorsus videantur; quoniam enim adest nimietas motus, hunc adhuc augere, rationi non est consentaneum. (**)

(*) Quid proinde dicendum de illis, qui propter foedum excrementorum odorem materiam putridam quantocius everrendam pro causa dysenteriae habuerunt?

(**) Illi, qui proposuerunt, naturam eliminandae materiae esse imparem, oportet non admodum oculati fuerint, siquidem nullus est morbus, in quo natura tantum faciat impetum. Si vero primis diebus stercoris descensus est interceptus, id non propter naturae deficientem vim, sed propter nimium et exorbitantem eius impetum accidit. Sed medicamenta laxantia quandoque superato fere morbo malum exasperare testatur *Fr. Hoffmann in med. Rat. system. Cap. de dys.* „Neque raro observavi, (inquit) „infusum laxans mannatum, finito iam penitus, qui „diutius afflixit, morbo, sublatisque gravioribus symptomatibus „usurpatum, tormina et alia sontica mala revocasse.“

Interdum hoc stadio stercora coloris sunt cinerei, idcirco autem aegri peius se non habent. Fortasse in his corporibus, primo morbi stadio iecur fuit affectum, et fellis secretio impedita, vel huius liquoris mistura quodam modo alterata, unde, quae prostant in canale excrementa, cinerea descendunt; elapso enim post reseratam intestini constrictionem die uno alterove, excrementa lutea sequuntur. Raro saltem hoc stadio fellis secretio turbata permanet: unum tantum videre memini virum, cui stercus cinereum decem integros dies descenderet. Aliquoties accidit, ut stercus tenerrimum sua sponte ex ano profluat, perinde ac si ani orificium sit resolutum; haec vero accidentia terrere non debet, quippe quae singularem nequidem deposcat medelam.

Post octiduum, interdum ocius, interdum serius, excrementa paulatim spissantur, et pultes stercorosae descéndunt. Si aeger hoc stadio ter, quater vel quinquies intra diem noctemque desidet, opii quantitatem minuere non convenit; ubi enim praepropere nimis minuitur, alvus denuo tenerrima fluit, omniaque in peius ruunt. Quando vero alvus integro die non movetur, tunc oportet opii quantitatem circumcidere. Tutissimum est, omni secunda hora unum cochlear dare, ac si intra dimidium diem alvus nondum movetur, omni tertia. Si altero, vel quod melius est, tertio die ventris exoneratio nondum insequitur, hisce diebus a deiectione vacuis, bis tantum, vel ter die unum cochlear porrigere iuvat. Ubi vero secundo vel tertio adsellat aeger, oportet confestim, postquam excrementa descenderunt, unum cochlear propi-

pare, timendum enim, ne expulsio stercoris, denuo turbamentum sit intestinorum. Verumtamen si nihilominus sensus ingratus in ventre post deiectionem remanet, tutius est, horarium intervallum non observare, sed protinus secundum cochlear, et si necesse, tertium superdare, donec turbae, expulsione foriorum ortae omnino taceant. Eodem quoque die, tertia quaque hora unum dare cochlear expedit; praecavendum enim, ne eodem die altera deiectio insequatur.

Hoc praesertim stadio magna opus est cura et attentione, si aegrum non solum servare, sed pristinam quoque valetudinem ei conciliare volumus. Cum enim motus abnormis tantum solum in intestinis relinquitur, quantum minimum est, pessimae et molestissimae sequelae inde oriuntur: ventris scilicet inflatio, mala digestio, fluxus chronicus, tristeque horum malorum syrma. Interdum tres guttae tincturae opii quater die datae, ad exstinguendam morbosam intestini irritabilitatem sufficiunt, interdum quinque guttae aqua dilutae, et nequidum una vice, sed certis intervallis propinatae, toto die omnem absolvunt numerum. Saepenumero sufficit, post deiectionem tantum, guttas aliquot quotidie dare.

Ab iusto hoc temperamento, perfecta sanatio unice pendet. In universum vero hoc stadio, de necessaria quantitate nihil perpetui praecipi potest, oportet potius ex circumstantia consilium petere. Nimietas nocet, perinde parcitas; utrinde aeger in ipso secundae valetudinis limine citra necessitatem tenetur.

Talis fere observatio notanda videtur. Non solum tenuitas excrementorum, continuam adhibitiouem opii longioribus vel brevioribus intervallis suadet, sed ipsa quoque excernendi actio. Sanus homo, dum desidendi invitationem in ventre persentiscit, nullum non dolorem solum, sed ne incommodi quidem sensum habet, sed ubi protinus naturae satisfacere potest, sensum potius suavem et placidum in ventre advertit. Plerumque tamen in dysentericis, primam stercoris coacti deiectionem, sensus ingratus non solum praecedit, sed magis adhuc insequitur. Imo multi post talem deiectionem ita male se habent, ut opem medici extemplo implorent; non solum enim sensus ingratus in ventre eos angit, sed universa corporis fabrica in intimis suis penetralibus affecta videtur, ut ipse animus marceat, summaque tristitia pristinam obnubilet serenitatem. Mulieribus praesertim id accidit, et haud paucies talis obnuntiatio ad me pervenit.

Primo mirum mihi visum est, quare illi, qui vigente morbo, animosi atque fortes fuissent, nunc fere fugato morbo et in ipso secundae valetudinis aditu animum abiicerent; deinde talem explicationem probabilem feci. Vigente morbo universa corporis compages aequabiliter fere est affecta, unoque tenore sensus molestus aegrum tenet. Redeunte sanitate evanescunt paulatim molestiae, sensusque suavis et placidus secundae redit valetudinis. Si itaque hoc stadio, deiectione facta, intestina irritabilia proritantur, motusque abnormis universae corporis compagi communicatur, fieri non potest, quin fortes et animosi olim, nunc animum demittant; magnas enim

molestias patimur, modo uno tenore nos infestent, perduramus, finemque felicem exspectamus: at si tandem spes optati eventus effulget, nihil sane tristius, quam si metam difficli luctatione iam iam attactam, ex improviso longe prolatam cernimus, ridentesque denuo tenebratos prospectus. Pauci saltem reperiuntur, qui hanc vicissitudinem aequo animo ferant. Quantum vero omnes aegritudines impatientia augeantur, medicis satis notum est; nostris saltem adhuc diebus ingeniosissimus ille philosophiae reformator de aegritudine corporis imperio animi lenienda disputavit. Ubi proinde fugato fere morbo, dira mali exasperatio artifici obnunciatur, eo terreri non convenit, guttis enim aliquot tincturae opii, et probabili sermone turbae facile componuntur.

Quando demum deiectionem neque antecedit neque insequitur sensus ingratus et alienus, opio aeger non amplius eget, sed sanatus habetor.

Hac ratione unumquemque ab omnibus noxis, quae dysenteriam sequuntur vindicare possum, et tutior et iucundior est talis curatio, quam quae remediis amaris, adstringentibus aliisque huiusce farinae, ultimo tentatur stadio.

Quum vero morbus noster in singulis corporibus respectu praesertim temporis discrepet, quo hominem invadat, necesse erit quasdam regulas adhuc subiungere.

Interdum opii quantitas necessaria supra posita, ad compescendos in ventre motus non sufficit; sunt enim, quorum intestina, pertinacissima irritabilitate laborent.

Anxia cunctatio initio morbi perniciosa est; oportet potius medicinae quantitatem protinus eo usque augere, donec deiectionum numerus primis praesertim diebus multum minuatur. Generalia praecepta perinde dari nequeunt. Recordor, me ultima lue hic grassante, virgini triginta circiter annorum, singula hora quindecim tincturae guttas, quinque integros dies optimo cum successu dedisse. Mitigato deinde vehementissimo intestinorum motu, licuit quantitatem minuere. Qui sub initio anxius haeret, et a benefica natura faustam mutationem temere expectat, tales non servabit qui servari possunt. Primo enim morbi ortu, viribus adhuc inviolatis, magnae pharmaci nostri quantitates facile feruntur, cum contra viribus tam iactura humorum quam febre praesauciatis, dubium est, impetu quodam curationem tentare; melius enim, ut is, qui servari nequeat, sua morte defunctus, quam a medico necatus videatur.

Nonnunquam vero acrimonia quaedam intestina vellicat, unde nova et vehementissima irritatio, quam frustra opio compescere tentabis. Oportet istam acrimoniam apta medicina delere, quod infra loco idoniore tradam. De infantibus aliisque infirmis singularis quoque observatio est, quam perinde singulari titulo proponam.

Accidit interdum, ut irritatio in inferiorem tantum partem intestini recti cadat. Morbus tunc levioris est notae, et duo tantum habet stadia; mitigata enim violenta irritatione, et reserata intestini constrictione, vel pultes stercorosae protinus, vel excrementa coacta descendunt. Maxima interdum tormina talem stercoris ex-

pulsionem comitantur, citra vitae periculum tamen. Leviori hoc casu, oportet opii quantitatem confestim minuere, regulasque observare, quas modo circa ultimum dedi stadium, ex primo enim protinus in ultimum transit morbus, neque timendum ne quisquam eo exstinguatur.

At ubi dysenteria mense Maii vel Junii hic illic apparet, et latius non vagatur; tutius videtur parva opii quantitate curationem moliri: quamquam enim deiectiones sint copiosae, doloresque non mediocres, corpora tamen largam opii quantitatem vix ferunt. Quindecim, ad summum triginta opii liquidi guttae, id operantur, quod in dysenteria populari vix centum et plures; et intra tres vel quinque dies motus intestinorum abnormes componi possunt. Interdum datis aliquot guttis, alvus ex toto amplius non movetur. Oportet hoc casu omni secunda, vel tertia tantum hora medicinam propinare, hac ratione, ut aeger (si fieri possit) duobus diebus non desideat. Si maiorem opii copiam assumit, oritur vomitus, omniaque ingesta protinus reiiciuntur. Haec passio taediosa potius, quam periculosa, artificis et aegri attentione facile evitatur. Verumtamen si leviori hoc casu, cessante post primam medicinam deiectione, opium ex toto seponitur, redibit certe alvi fluxus, artificemque ad pristinum repellet antidotum. Aeger interea diutius citra necessitatem sub medico trahit, cum contra iusto observato temperamento, paucis diebus pristinae restituitur sanitati.

Superest ut de tempore ad capiendam medicinam idoneo aliquid proponam. Multi quidem sunt morbi, quos sanare licet, dummodo aeger interdiu medicinam

assumat, et noctu ferietur; nostra vero lues, talem interstitionem non patitur. Ubi enim aeger noctu a medicina abstinet, deiectionum numerus multum augetur, imo plerumque id, quod perdia cura vicimus, noctu rursus amittimus. Quando itaque deiectionum numerus urget, oportet noctu singula hora medicamenta porrigere. At si deiectionum numerus minor, ut aeger interdiu quater vel quinquies tantum adsellet; licet noctu quietem ei concedere. Somnus suus plerumque est incertus, crebriusque expergiscitur; oportet tunc medicinam dare: hoc pacto quieti tempus conceditur, et intestinorum turbae vix compositae non recrudescunt.

Si aeger male se habet, necesse est, amicus vel famulus noctem vigilet, aegroque ministret. Qui enim febre laborat, variisque molestiis vexatur, noctu vix horas numerabit, neque medicinam certis intervallis capiet. Cum vero levioris notae est morbus, medicinae duntaxat facile paret, iuxta aegri res tenuis; sufficit medicamentum cum lucerna secundum spondam in abaco ponere, ut aegrotus quando expergiscitur, ipse id sumere queat. (*) Eodem quoque stadio quo pultes stercorosae descendunt, noctu medicinae vacationem concedere alienum est, aliquoties duntaxat eam capiat, ne alvus denuo tenerior fluat.

Quod vero attinet ad febrem, haec singularem non deposcit medelam; oritur (quod Cap. II. ostendi) ex

---

(*) Haec cautela ad perfectam usque sanationem necessaria est. Hac enim neglecta, aegrum quandoque piget, oborto sensu ingrato in ventre, familiares concubia nocte expergere, et morbus fere victus denuo exasperatur.

irritatione intestinorum, et hac mitigata evanescit. Sunt quidem scriptores, qui ad exstinguendum calorem salia media dederint. Id mihi aeque ridiculosum videtur, ac si ad exstinguendam febrem ex vulnere ortam, plagam acri et rodente emplastro contegeres. Emplastrum sane irritationem in vulnere, febremque adeo ex irritatione ista ortam auget. At in dysenteria intestinorum canalis locus est affectus, qui magna et morbosa irritabilitate laborat. Pharmaca, quae sanis corporibus ingesta, vix sensibili aliqua mutatione intestina afficiunt, nunc vehementer ea proritant; fieri proinde non potest, quin tota animalis oeconomia eo affligatur. At si quis dixerit: opio assumto, arteriae vehementer moventur, calor augetur, et sitis urget, febrisne itaque aucta videtur? — Respondeo: si calor, pulsuum frequentia, et sitis, perpetuae sint febris notae, qui fit, ut is, qui calore aestivo in aprico circumcursavit, easdem praebeat notas? Qui fit, ut interdum in eo, qui febre nervica laborat, neque sitis, neque calor, neque pulsuum frequentia observetur? Incertae et inconstantes sunt istae notae, qua propter consultius videtur, ab iis solum indicationem medicam non petere. (*) Sed esto, febrem opio augeri; febre tamen

(*) Discrepat in hoc momento nostra sententia ab illa expertissimi *van Geuns*, qui pag. 37 libri sui, quem de dysenteria scripsit, sequentia praecipit, „Voorts dientook omtrent het Laudanum in agt genoomente worden; indien koortsverheffingen den „Beloop verzellen, dat men in die verheffingen, en onder de „hette, het gebruik van dat heete middel wat obschorte, in wel„ken ik althans het zelve ontzie.

T. Willis contra inquit in pharmacopoea rationali Cap. de med. opiat.; „Nam in quantum fibrae nerveae inordinatim con-

hucusque neminem vidi exstinctum, multoties vero alvi fluore. Sunt, qui, ubi aliquis dysenteriae succumbit, protinus dicant: hunc febris putrida, nervica, maligna iugulavit. — Facile istuc est dictu; sed fac, alvus non amplius fluat, et evanescet febris putrida, nervica, maligna. Cum Cliviae medicinam facerem, medici dysenteriam tunc temporis grassantem, putridam vocabant. Non negari quidem potest, materiam in multis corporibus aliquam mutationem alienam subiisse; sed nunquam tamen id accidit, nisi male aeger se haberet, facta scilicet virium iactura; ut proinde materiae alienitas, ex virium consumtione, haec ex ventrali irritatione profecta videatur. Unde in proclivi est iudicare, febrem istam sic dictam putridam, oppilando alvum posuisse recidi.

Quae contra talem febrem propinantur roborantia, antiseptica, excitantia, parum iuvant. Si alvus comprimi potest, superflua sunt, ac si id fieri nequit, viresque fatiscunt, incassum sane dantur. — Ubi in corpore graviter vulnerato, fracta ossa nervos lacessunt, febremque accendunt, quin credis, saucium focillando vires servari posse, donec irritamentum ex vulnere removeri, sanguinisque profusio sisti nequit? Frustra sane propinabis excitantia et roborantia pharmaca; sed perinde incassum febrem dysentericam talis armatus incurres.

» contractae sanguinem et humores exagitant, inque varias fluc-
» tuationes et exundationes cogunt, idcirco spasmorum illorum
» per opiata suppressio, horum aequor mox tranquillum reddit. «

Sunt quidem febres putridae vel nervicae, quas alvi fluor comitetur; imo ipse cruor quandoque descendit. Interdum aegri, datis remediis roborantibus, ac non cohibito ventris fluore, ex tali febre servantur. Perversa quidem haec curatio non impedit, quo minus omnia morbus percurrat stadia, sed aegri aliquoties tamen elabuntur. Haec interea comparatio, imperfecta est; in hisce enim febribus, virium languor praecipuum est momentum, et alvi fluor eis tantum accedit; quod inde apparet, quia inhibita deiectione, febris sua sponte non deflagrat, sed remediis vel antisepticis vel roborantibus supprimi debet. Irritatio ventralis praeterea, in febribus putridis et nervicis tanta non est ac in dysenteria, neque febris, ista irritatione augetur; humorum tantum iactura in censum ducenda est, quippe quae medicamentorum roborantium virtutes vel ex parte vel ex toto frustretur. In dysenteria contra, irritatio ventralis praecipuum est momentum, unde febris pendet. Irritatio autem ista remediis roborantibus, adstringentibus, et excitantibus fere semper augetur, quare palam est, tali medicamentorum apparatu labantes vires non posse sustentari.

Febres cum virium languore, quas nervicas vocant, non facile quidem dysenteriae iungi, experientia me docuit. Anno 1803 cum febres nervicae pessimi moris tam in oppido nostro, quam in vicinis pagis grassarentur, autumno dysenteria increbuit. (Cap. I.) Tum quidem in eadem interdum domo febris nervica et dysenteria simul erant, hoc tamen pacto, ut horum morborum alter, nunquam alteri esset iunctus. Cum primum dysen-

teria caput extulit, maxime timui, ne febris stationaria nervica, cum illa complicata, diram plane, omnesque medicorum artes eludentem constitueret luem; fortunatius tamen evenit, quam unquam speraveram; dysenteria enim suetum suum tramitem legit, neque ampliori opus fuit medicaminum apparatu, quam superioribus annis. (*)

Quoniam ergo dysenteriae febris, cum irritatione intestinorum surgit caditve, hanc oportet mitigare ut illa evanescat. Unum tamen monendum videtur. Irritatio intestinorum dupliciter considerari potest, respectu scilicet intentionis et extentionis. Febris non solum ab intentione, sed ab extentione quoque pendet. Si exempli gratia mense Maii vel Junii dysenteria aliquos adoritur,

---

(*) Zimmermann Cap. III. sui libri de dysenteria, ex febris antegressae natura, dysenteriae naturam bilioso-putridam *potissimum* deducit; Sydenhami nimirum auctoritate fretus. Ex his, quae modo dixi, apparet, talem deductionem esse admodum truncam. Sydenhamum equidem magni facio, oculos vero meos sanos, sanamque rationem maioris faciens, contrarium observavi; quare teneo: Sydenhami observationem esse veram, non autem perpetuam. Fortasse quis crediderit, me praeiudiciis captum falsas observationes fecisse. Huic repono: morbus nervicus hic locorum palans, oborto alvi fluore fere semper erat letalis, et tam malignae naturae, ut, si dysenteria eiusdem fuisset indolis, ne vigesimus quidem potuisset servari. Manifestum tamen est omnia ista, quae de febre dysenterica eiusque curatione dixi, perinde perpetua non esse. Morton ex. gr. dysenteriam descripsit, cuius praecipuum momentum fuit ipsa febris. Uti haec dysenteria a nostra multum discrepat, ita non minus scriptoris curandi ratio. Pulverem corticis peruviani eum opio mixtum abhibuit, hac ratione febrem fugavit, et una cum febre dysenteriam (Richardi Morton Oper. Med. Tom. II. in appendice.)

crebraeque deiectiones, data exigua opii quantitate protinus (quod modo narravi) minuuntur, febris quoque una deflagrat; interdum enim illum, qui mane dolores intestinorum lamentabatur, cuius arteriae plenae ac citatae pulsabant, vesperi a dolore et deiectione immunem invenio, et (quod probe notandum) arteriae neque plenae amplius, neque citatae, ad naturalem fere modum accedunt. Id etiam mirari nequit; quoniam enim febris tam ab intentione quam ab extentione irritationis pendet, necesse est circumcisa intentione evanescat, ut pote irritationis extentio sive diuturnitas tali tempore fere nulla esse consuevit.

At si contra dysenteria autumno increbrescit, maior est irritationis extentio, febrisque perinde diuturnitas. Iusto quidem medicinae temperamento, irritationis vehementia sive intentio, confestim haud raro moderatur, sed febris idcirco non protinus deflagrat; sufflaminati enim sunt motus intestinorum obnormes, non omnino compositi, quod inde patet, quia seposito opio, denuo infrenati se exserunt. Quamquam itaque sufflaminati sunt, oportet revera tamen accipere duas in ventre potestates oppositas et pugnantes, intestinorum nempe irritamentum, et opium; sub ipso harum potestatum conflictu, reliquo corpori vix sensus gratus et placidus sanitatis esse potest. Demum ubi turbae non solum frenatae sed revera compositae sunt; ubi seposito per intervalla opio ipsa pronitas in motus irregulares exstincta est, febris deflagrat, et pro irritabilitate corporum ocius serius sine ulla medicina evanescit.

Hisce probe perpensis, in ipso morbi initio, non difficile erit iudicatu, an longus an brevis sit futurus. Quando enim data medicina, deiectiones multum minuuntur, doloresque evanescunt, arteriae vero plenae et citatae manent, longior erit morbus: ubi vero arteriae protinus plenitudinem celeritatemque deponunt, brevior (ceteris alioquin paribus) erit morbi decursus.

De diaeta aegrorum.

Nullus sane existit morbus, in quo tanta diaetae ratio habenda sit, ac in nostro. Stricto vitae regimine temere neglecto, optimos medici conatus identidem frustratos observavi. Interdum data medicina, morbus exasperatur, curate artifex singulam circumstantiam in animo volvit, et non invenit, cui morbi exasperationem imputare possit: tandem sciscitando cognoscet, ex parvo diaetae errore, tantam emanasse perniciem; felix! dumne serotina animadversione aeger vita periclitetur. Tria vero momenta, praecipuam merentur attentionem: scilicet cutis exhalatio, animi motus, et alimenta. De singulis, quae me docuit experientia, seorsim proponam. Cutis exhalatio primum teneat locum.

Notum est medicis, quantus sit inter cutem et intestina consensus: at in corporibus dysenteria affectis, naturalis ista partium sympathia, multum aucta videtur; minima enim temperaturae mutatio, in imo persentiscitur ventre, ac deiectiones denuo numerosae oriuntur. Tutissimum est, aegrum cuius sanationem suscepimus, protinus ad lectum relegare, et sedulo cutis exhalationem omni modo

secundare; nisi enim pressa cautelâ id observatur, opium maxima quantitate ingestum vix quidquam iuvat.

Interdum accidit, ut ii, quos morbus non protinus prosternit, praecepta artificis veluti luxuriantis medicae theoriae figmenta flocci pendant, negotiaque sua sequantur. Tunc vero omnino melius est, obstinatum talem, consiliaque respuentem relinquere, quam otiosi instar spectatoris, tristem contemplari rei eventum. Olim ad iuvenem viginti circitèr et quatuor annorum vocabar, ut a dysenteria eum liberarem. Ab omni labe chronica ceteroquin immunis erat, et habitus videbatur satis firmus. Dedi ei medicamenta necessaria, et quia in ipso domus atrio eum offendi, praesertim eum hortatus sum, ut extemplo in lectum se reciperet. Sequente vero die comperui, se praeceptis meis parum obtemperasse, imo egomet ipse eum ex chorte redeuntem vidi. Denuo eum commonui, ut in re seria, talem animi levitatem deponeret, et speravi, ipsam praesentem morbi exasperationem verbis meis additúram pondus. Sed talis erat obstinatus, ut intrepidus eadem insisteret via, et meam adhortationem, iuxta ac parentum preces respueret. Tandem sexto circiter die vesperi eum inviso, ad focum cum familia sedentem invenio, pulsum percontaturus carpum prehendo, et — manum frigidam sudore udam vietamque tango. Exeundo domum patri aperio, filium vita periclitari. At pater vix sibi persuadere potuit, ad focum sedentem et colloquentem filium in ullo versari discrimine. Secundo vero posthinc die, alvus foetidissima fluxit, omniaque signa mortis praenuncia incidere; tertio animam efflavit. Hicce casus, utut in oppido satis notus, leves

animos perterruit, et deinde aegri libenter verbis meis obtemperavere.

Sed non sufficit solum, aegrum lecto addicere, oportet eo etiam videre, ne oborta desidendi cupiditate surgat. Tutius est in lecto matella uti, quam ad lasanum desidere; infrigidatio enim surgendo vix evitari potest. Ultimo morbo populari, iuveni dysenteria laboranti medicinam dedi, sed deiectionum numerus vix eo minuebatur. Confessus est, se propter munditiem intempestivam a matella abhorrens, ad sellam familiaricam desedisse. Protinus eum commonui, ne lectum amplius relinqueret: secutus est iuvenis consilium, et (quod probe notandum) eadem opii quantitas, quae antea deiectionum numerum non minuerat, nunc motus intestinorum ita tranquillabat, ut aeger fere omnino non deiiciens brevi convalesceret.

At si interdiu nocivum est, lectum relinquere, noctu adhuc multo periculosius esse consuevit. Autumno noctes sunt frigidae; corporaque sudore digesta male afficiunt. Subinde perniciosam ex noctisurgio exasperationem observavi. Memini iudaei triginta circiter annorum, qui dysenteria primis diebus graviter affectus, quinto tamen, quater solummodo desedit, descendentibus excrementis stercorosis. Omnes praeterea notae, faustum pollicebantur morbi exitum. Incidit interea sabbatum, quo quidem festo, ista natio singularem affectat munditiem; aeger proinde noster, matulam abominans, nocte perquam frigida ad sellam pertusam desidet. Sed eodem fere momento, vehementissima persentiscit in intestinis tormina. Ad lectum quidem refugit, sed frustra; trigesies enim et

ultra eadem ipsa nocte deiicit, et altero mane, crebra evacuatione defectum tristemque invenio. Excrementa stercorosa amplius non erant, sed cruenta, et quatuor dies talia mansere. Evasit quidem iudaeus, sed non sine magna molestia, et haud paucies fatale exsecravit momentum, quo noctu ad foricam surrexerat.

Cum vero necesse sit, quotidie lectum sternere, sedulo oportet cavere, ne aeger detrimentum capiat. Tutius est, meridie id facere quam vesperi, et ubi dies admodum est frigidus, igniculum accendere. Oportet saltem in sellam brachiatam aegrum collocare, stragulis probe circumdare, et ne pedes frigeant, udones induere. (*) Incolae huiusce provinciae, quorum facultates mediocres, sculponeis ligneis utuntur, et si aegrotus vir e lecto surgit, non braccam sed uxoris pallam induit, qui quidem mos, ridiculosus primo intuitu, temnendus tamen non est. Strato lecto, sedulo oportet cavere, ne aeger frigido protinus immittatur: melius est lodices thermospodio prius calefacere, vel (quod inter pauperes consuevit,) latere calente. Hac cautela temere neglecta, eodem fere momento quo aeger lectum frigidum conscendit, tormina oriuntur et deiectiones.

Similis quoque est observatio de indusio linteo. Oportet id prius calefacere et festinanter induere. Ubi vero

---

(*) F. Hoffmann in *Med. Rat. System. Cap. de dysent.* inquit; „vix datur ullus morbus, in quo pedum refrigeratio tam grave, „imo mortis periculum, confirmante id experientia, iniicit quam „dysenteria.“

primis diebus aeger admodum male se habet, tutius est, linteum mundum non concedere, sed exspectare, donec intestina quodammodo sint tranquillata.

Quandoque cutis est sicca, calida, sudoresque aegre erumpunt. Si una deiectiones sunt copiosae, curatio plerumque est difficilis. Hoc casu cutis exhalationem primis praesertim diebus promovere conducit; omnis cunctatio perniciosa, quippe sine libera cutis evaporatione, deiectiones vix moderari possunt.

Postquam proinde dato opio, cutis primo die non madescit (quod tamen fere semper accidit,) optimum est, aegrum in balneum tepidum immittere, et membra fortiter pertractare, deinde in lecto stragulis probe operire, donec sudor profluat. Quoniam vero illi, quorum res domestica tenuis, solium non habent, neque quidem ahenum ad necessariam aquae quantitatem calefaciendam; talis quoque medendi ratio adhiberi nequit: diducenda ergo est. Pedes aegri ad genua usque in calidam immittere, deinde in lecto ad collum usque stragulis eum operire, tincturae opii porro guttas quindecim vel viginti quinque una vice propinare, magnamque dehinc copiam infusi calidi florum sambuci superdare iuvat; hoc saltem modo, subinde cutem aridam madidavi. Plerumque manante sudore deiectionum numerus multum minuitur, eademque opii quantitas, quae cuti sicca vix quidquam effecerat, nunc ad comprimendum ventrem sufficit. (*)

(*) Cum vero ad provocandam cutis evaporationem requiratur, ut aeger in eodem situ aliquod tempus cubet, circumspiciendum

At cutis humida et mollis quamquam laetum est signum, multum tamen abest ut fausti eventus certa semper sit praenuncia; nonnullos enim, quorum cutis ab initio mollis et madida, morbus nihilominus absumit. Sed optima quaeque nota, in aliis quoque morbis, primo praesertim stadio faustum exitum certo non semper pollicetur; et si nonnulli pereunt, quorum cutis madet, saltem omnes pereunt, quibus arida et tensa.

Plerumque aegri ex opio desudant; vehemens tamen sudatio ad felicem non requiritur sanationem: sufficit cutis mollis et placida evaporatio. Interdum accidit, ut agri ab initio sudore fere diffluant. Ubi irritatio intestinorum obstinata, morbusque proinde longior, timendum, ne assidua sudatione vires fatiscant. Difficile vero est sudorem compescere; aër frigidus nocet, perinde acida, omniaque adstringentia, quorum ope in febribus sudores moderamus. Hoc casu aegros in culcitam ex setis equinis colloco, vel pauperes in saccum stramento aut palea refertum, straguloque levidensi contego; deinde eos hortor, ne manus sub stragulo condant; potum calidum interdico, sed egelidum, tepido tamen propiorem commendo, frigidus enim in hoc morbo, tam dolores quam deiectiones auget. Hac ratione sudores tantum moderantur, quantum id fieri potest.

Oritur autem quaestio: qua ratione libera cutis exhalatio ad felicem curationem faciat. Sunt, qui credant,

---

est, an crebra desidendi cupiditas, an vehementia ventris tormina eum exagitent, neque in eodem situ manere sinant; quae quidem accidentiae singularem poscunt medelam.

sudatione humores ab intestinis derivari, deiectionesque hac ratione moderari; aliis talis explicatio ac crasse mechanica, ridiculosa videtur. Equidem non credo, humores ex imo ventre, veluti agogarum ope ex fodinis aqua derivari; sed compertum tamen habemus, maximum inter vasa exhalantia totius corporis esse consensum. Eo quidem fit, ut suppressa in altera parte secretione, alterius et remotioris interdum vasa, vicaria functione humores excernant. Dum quis bene valet, proximus inter cutem et renes est consensus; coelo enim frigido, maior est urinae secretio, cum contra calore aestivo, desudante corpore fere nulla est.

In dysenteria vero, cutis exhalatione impedita, renes vix eius vicem explere possunt; irritatio enim intestinorum ipsos renes afficit, lotiique secretionem impedit, quo fit, ut urina parca plerumque copia excernatur, et haud raro crebra et inanis mingendi necessitas aegrum torqueat. Cum vero aeger haud mediocrem potus quantitatem assumat, necesse est, vel potum in sua elementa dissolvi, vel quopiam deferri. Quorsum autem deferri potest, si cutis renumque functio impedita? — Certe nusquam nisi intestinum canalem versus, quo tamen necessario alvi profluvium augetur. Hac ratione palam est, modica sudatione intestinum a magno humorum onere vindicari, quo alioquin in motus abnormes rapiatur.

Veruntamen non solum humorum sic dicta derivatio in censum ducenda est, sed aliud adhuc grave momentum. Uti inter vasa cutis exhalantia cavitatumque corporis magnus est consensus, ita non minor certe inter harum partium nervos observatur. In sanis corporibus id

satis manifestum est, in dysenteria affectis adhuc multo manifestius; nam eodem momento, quo aegrotus corpus denudat, aërique frigido exponit, tormina motusque intestinorum exasperantur. Nihil vero nervis magis amicum, quam tepidus mador. Continua huiusce potentiae in peripheriam corporis actione, vehementissimi partium internarum dolores haud raro mitigantur, quod quidem medicis satis notum. At ubi aliquis in lecto, stragulo tectus modice desudat, exhalationes, quae perflatu auferri nequeunt, optimum constituunt balneum vaporis, quo cutis nervi continuo alluuntur. Natura itaque, optimum morbi sedamen, quod non nisi amplo apparatu comparari posset, pauperi unicuique sua sponte benefica offert. Hanc quoque ob causam non solum invisibilis cutis exhalatio, sed modicus quoque sudor ad sanationem egregie conducit. (*)

Neque convenit ex sudore protinus virium consumtionem timere, et negotiosus nimis eam praecavere. Oportet potius sciscitare ex aegro, an in secunda valetudine sudori fuerit obnoxius; sunt enim, qui quotidie, praesertim aestivo tempore, citra omne valetudinis detrimentum vehementer desudent. Quodsi tale corpus dysenteria afficitur, sudorem compescere admodum difficile est; observatis enim omnibus cautelis supra positis, sudor tamen vincit. Sed quamquam varios huiusce constitutionis passim curavi, vix tamen notavi, se superato morbo diutius

---

(*) *Etmüller* (oper. p. I. p. 146) de sudoris salubritate in dysenteria varios allegat auctores. Et F. Hoffmann casus dysenteriae sudoribus victae memoriae prodidit.

traxisse. Id proinde perpetuum est, corpora copiosas quascunque evacuationes quibus in secunda valetudine adsuevere, in adversa quoque facilius ferre.

Proximum est ut de moderanda animi conditione disseram; sunt enim varii affectus, quibus turbatur, unde difficilis morbi sanatio. Officium medici est, singulam circumstantiam, quantum fieri potest, explorare, ne pharmacis id a natura extorquere moliatur, quod cauto consilio et verbis eblandiri potuisset. (*)

Mortis formido primum tenet locum, utpote quae debachante dysenteria, frequentissima esse consuevit. Priscis quidem temporibus, ubi dysenteria in loco aliquo se ostendit, tantus pavor incolas perculit, ac si pestis increbuisset. Id quoque mirandum non est; ratio enim medendi talis fuit, ut natura non solum cum morbo, sed cum ipso medico de salute decernere cogeretur. Radice nimirum ipecacuanhae vel tartaro emetico vomitum elicuerunt, deinde Rheo alvum probe purgarunt; eversa sic

---

(*) *Degner p. 200 sui libri de dysenteria* inquit, » omnes » animi affectus imprimis ira, moeror, metus etc. maxime vitandi » fuere, nam iis malum facile exasperatur. «

Egregie praesertim de observanda animi conditione disserit *Fr. Hoffmann in Med. Rat. system. T. III. sect I. Cap. II.* » Non solum autem corporis (inquit) conditio scrutanda, sed ip- » sius quoque animi indoles perquirenda, et, quibus morbis is » laboret, considerandum. « (Et deinde eodem capite) » Quid? » quod ii, qui attentius et curiosius morbis sanandis praesunt, » subinde experiuntur, difficulter admodum aegritudines elidi et » expugnari, si animus non est compositus atque paratus, sed » patheticarum commotionum intemperie diversimode iactatur. «

dicta materia peccante, cortice cascarillae, Rheo tosto, aliisque huiusce farinae pharmacis, turbas intestinorum, medicamentis evacuantibus exasperatas tranquillare tentaverunt. Collegium medicum Berolinense, anno 1769 similem fere medendi rationem proposuit, imo populo persuadere voluit, dysenteriam neque gravem neque mortiferum esse morbum, sed tantum salutare beneficae naturae conamen, quo humores aestivo calore adustos, per anum exturbare adniteretur. (*) Incolae vero nostri, id sibi persuaderi noluerunt, sed luem pro gravissimo et mortifero malo habuerunt, quam quidem opinionem, subrutum coemeterium probe firmavit. Quid? sepulcreta oppidorum ante portas dysenteriae dicata,. quorum eversae cruces, tristem adhuc viatori nunciant civium cladem, incolisne pavorem iniiciant? — Fuerunt quidem medici, qui opium contra luem adhibuerint, sed ad vehementissimos solum dolores moderandos, non ad ipsum morbum vincendum; medicamenta enim evacuantia primum semper obtinuere locum, quo factum est, ut hi quoque in curanda lue parum profecerint. Aliquoties accidit, ut ignarus aliquis omnibusque medicinae principiis destitutus, opii tincturam casu acceptam aegris dederit. Hi celerem benignumque huius pharmaci effectum sentientes, sanati aliis eandem medendi rationem commendaverunt: mox vero harum curationum fama ad medicos pervenit, qui publica aucto-

---

(*) Tractus talem habet titulum: Des königl. Preuss. Ober-Collegii Medici Anweisung, wie sich der Landmann nicht nur vor der Ruhr praeserviren, sondern auch glücklich und mit wenigen Kosten selbst curiren könne.

ritate freti, sacrilegae manui venenum protinus extorsere. Tandem eo perventum est, ut unusquisque dysenteriam pro perniciosissimo omnemque medelam respuente malo habuerit.

At mortis formido magnum revera est sanationis impedimentum. Hicce animi affectus universum corpus exagitat, praesertim vero partes internas afficit. Qui in secunda valetudine expavescit, crebrius statim mingere cogitur, et haud raro alvus movetur; quoniam vero sanis id accidit, aegri certe, quorum intestinorum canalis in motus abnormes pronus, non mediocre valetudinis detrimentum inde sentient. Ad praecavendam aegrorum formidinem, in universum conducit rationalis morbi curatio, ut minimus, quantum fieri possit, aegrorum numerus morbo absumatur; hac enim ratione lues in universum truculentam suam faciem amittit. Experientia id me docuit; ultima enim lue, aegri animum non protinus abiecere, morbusque gravis quidem et periculosus, sed non mortiferus eis visus est. At cum in magno decumbentium numero formidolosi semper inveniantur, aliam atque aliam ad pacificandos eorum animos oportet legere viam. (*)

(*) *Hargens* (Journal der practischen Heilkunde von Hufeland VII. Band) de tranquillandis formidolosorum animis inquit, „Dieser bey mancher andern Krankheit leicht zu erfüllende Punkt „machte hier einen der schwierichten Theile der Kur aus, und „zwar desto schwieriger, je höher die Epidemie selbst und mit „ihr das allgemeine Schrekken, von aussen und innen her vermehrt stieg."

Qui aegrum prima vice visitans, statim faustam sanationem audacter pollicetur, vix quidquam eo proficiet; formidolosus enim vel levitati id tribuit, vel pro communi et triviali medicorum solamine habet. Melius est, statum morbi singulasque notas accurate explorare, imo paulo accuratius omnia ex aegro sciscitare, quam ipsa necessitas id postulat. Cum vero artifex morbi notas facile divinare possit, utpote quae fere omnibus communes; oportet aegri relationem (quae nihil novi et inauditi utplurimum offert) non anxio et stupente, sed aequabili accipiat vultu. Neque alienum est de quibusdam passionibus interrogare, quae vel raro vel nunquam in aegros cadunt, exempli gratia de gravi capitis dolore, delirio, aliisque accidentiis: quarum cum immunem se praedicat aegrotus, laeto oportet et approbante vultu inaudire. Hac ratione, sine magno verborum apparatu facile est ei persuadere, se in pessima nondum versari conditione; quare enim artifex de gravibus quibusdam passionibus interrogaret, nisi tales subinde in aliis offendisset? — At si aeger protinus scire cupit; utrum in periculo versetur, an non; tutius est, extemplo non pronuntiare, sed sententiam sustinere: praecox enim esset iudicium, imo ipsi quoque aegro utplurimum tale videtur, qua propter ad leniendum suum animum parum iuvat. Melius est in universum de morbo aliquid fabulari, eique ostendere, luem perversa olim curatione potius, quam suapte natura tot homines orco dedisse. Hac ratione subinde terriculam animo evellere licet. Postero autem die, ubi artifex aegrum visitat, singulisque circumstantiis probe examina-

tis persciscit, medicamenta suetum effectum praestitisse, (quod quidem plerumque fieri solet) hilari oportet vultu de elapso periculo ei gratulari, antequam de valetudine iudicium ipse rogavit, ne scilicet laeta enunciatio impatientia et efflagitatione tantum extorsa videatur. Deinde ad tranquillandos animos egregie conducit, taediosarum quarundam passionum praedictio, nam si inopinato accidunt, timor plerumque redit. Tandem necesse est, crebrius tales aegros accedere, quam ipse morbus id postulare videatur; neque alienum est, interdum de aliis rebus fabulari quae eis cordi sunt, vel domesticis vel publicis, et de futuro praesertim tempore consilium habere. Uti enim futuri temporis cogitationes, rerumque olim perficiendarum, mortis propinquae cogitationi sunt fere oppositae et pugnantes, ita vix in eadem mente una subsistere possunt, ac breve tale colloquium ad leniendos animos docta disputatione est praestantius. Medicus tamen semper primus de tali discursu ad aegri valetudinem deflectere debet, ne speciem hominis incurati et levis praebeat.

Est vero desultorum hominum genus, quorum animus inconstans continuo fluctuat; modo fortes et erecti, modo pusillanimes sunt et abiecti. Molestissimi fere omnium, praesertim si in divitiis sunt, opem medici citra necessitatem continuo implorant. Hos vero verbis interdum duris ad constantiam compellere alienum non est, quippe qui probabili sermone tranquillari nequeant.

Moeror et tristitia secundum sunt curationis obstaculum. (*) In magno aegrorum numero subinde inveniuntur, quorum res domestica dilapsa, vel qui in malo negotio versantur, vel quos discors coniugium compedit. Ubi medicus neque blatero neque scurra est, sed honesti et taciturni hominis famam habet, sua sponte aegri dolorem in amicum animum infundent: longe melius vero est moerorem verbis diffundere quam devorare; consolationi enim et consilio tempus patet, cum contra mutus dolor valetudinem insidiose destruit. Coniugium autem discors, pessimum gignit moerorem, imo hoc casu non animus solum marcet, sed ipsae necessitates haud raro detrectante offeruntur manu. (**) Magna vero hoc casu intercedit differentia, an maritus an uxor aegrotet. Si enim maritus decumbit, coniux protinus, misera eius conditione commota, pristinique odii oblita, religiose ei opem fert, cum contra hac decumbente, maritus eam utplurimum negligit. At quia vix tam scelestus et sacrilegus ullus invenitur, qui inimicum inermem, calamitatibus ob-

---

(*) De moerore inquit *F. Hoffmann* loco modo allegato, „ dum „ nociva sua efficacia solidas maxime partes aggreditur, mirifice „ vires universi corporis atterit, eiusque functiones robur fibra- „ rum minuendo illasque relaxando labefactat. "

(**) *Perill. Hufeland* in libro, quem de prolonganda vita scripsit, felix et concors matrimonium auxiliis ad prolongandam vitam summe necessariis iure adnumerat. Uti vero concors coniugium felicem animi aequabilitatem valetudini amicam promovet, ita discors maxime eam turbat. Nostrum non est ista, quae Perill. auctor de hac materia proposuit, repetere; sufficiat indicasse, qua ratione decumbenti, animi tranquillitas ad recuperandam sanitatem necessaria reparari possit.

rutum ac moriturum, odio adhuc persequatur; prudentis est medici, sciscitantem maritum, neque increpare neque admonere, sed vultu dubio et ambiguo sermone ei nunciare, uxorem vita periclitari, ut demum sibi persuadeat, eam certo esse morituram. Tunc enim vel conscientia, vel religio ad officium eum compellent; evanescunt feri mores, et acerrima verba, et indignatio; redeunt cum pace dulcedines et negotiosa cura.

Deinde ipse luctus magnam meretur attentionem, quippe qui inexsuperabile fere sanationis est obstaculum. Quandoque aliquis lue afficitur, qui suos eadem labe absumtos adhuc plorat, imo interdum altero decumbente, alter ex eadem familia rapitur. Cum vero luctus secundam valetudinem subinde labefaciat, quis est, qui non videat, quantum in adversa sit timendus? Sunt, quorum mens parum exculta naturam solum sequitur; hi suos equidem plorant, at ubi ipsi vita periclitantur, obliviscuntur doloris, et de propria tantum cogitant salute. Talis naufragus alto immersus fragmentum arripit, neque audit amici dilecti preces iuxta abeuntis pessum, neque luctus et dolor in eum cadunt, eluctatur tantum fluctus, ut vitam tamquam optimam ex tetro conflictu deportet praedam. Ecce! vulgaris experientia artificem docet, luctum subinde timore melius, quam consolatione moderari. Alienum itaque non est, tales aegros mortis imagine terrere, ut demum ad propriam salutem animum advertentes moestitudinem abiiciant, vitamque servare adnitantur.

At omnes terrere non convenit. Sunt, quorum animos vel educatio, vel tristium poëmatum fabularumque

lectiunculae molliverunt; horum imaginatio supra naturam exaltata, tristia indesinenter provocât spectra, et ubi suorum aliquis fato succubuit, ipsi mori cupiunt, imo tales phrenetici interdum sunt, ut in eodem sepulcro cum funere dilecto putrescere, dulce eis videatur. Si talis luctus non fictus sed verus est, (quod quidem diiudicatu non arduum, siquidem hic mutus, ille eloquens esse consuevit,) pessima quaecunque in decursu morbi timenda sunt. Quid medico sit agendum, difficile est dictu: oportet ex circumstantia consilium p tere, et si quis facundia pollet, eam adhibere; uti enim tales animi tristi casu protinus vehementer exagitantur, sic verbis quoque moveri possunt. Simplex tamen et trivialis consolatio non multum iuvat; tutius est alium et quidem oppositum ciere animi motum. Si exempli gratia cum muliere, quae defunctum virum plorat, de rerum humanarum mutabilitate, de vita aeterna, aliisque huiusce farinae materiis disputare velles, parum hercules proficeres. Sed praesto orbi sint sui infantes, quorum inops conditio tacita eloquentia matrem appellat; hanc cum amiserint, hospites et deserti in ipso vitae aditu, neminem habebunt qui virtutem eos doceat, seductos revocet, labantes amica manu erigat. Ecce! sacra officia, quae matrem obstringunt, et de servanda vita commonent. Talis fere adhortatio, triviali consolatione longe praestantior; animus enim irritabilis et in motus praeceps, non ad officia verbis tantum compelli, sed incendi quidem potest.

At de morbis acutis disserens inquit Cornelius Celsus: » in his breve est spatium intra quod si quod auxilium

» non profuit, aeger exstinguitur. « Quisque certe nostrum huiusce dicti veritatem, propria experientia ratam habet. Accidit mihi olim, ut ad formosam quandam virginem dysenteria novissime affectam vocarer. Morbus videbatur levis, nam decies tantum intra diem nòctemque deiiciebat aegra. Mater vero, quam maxime dilexit, iam diu sub alio medico traxerat, et modo in praecipiti erat periculo. Tertio fere morbi die, puella ab anicula ministrante accipit, matrem in ipso mortis articulo esse. Ecce aegra nostra quae lecto exsilit, passisque manibus ad moribundam advolat, illacrimans eam amplectitur, et infando discruciatur dolore. Vesperi eiusdem diei tristem diffletis oculis offendi, et quae facta audivi. Pessima quaecunque a violenta mentis exagitatione timui; sed, quoniam crebriores deiectiones nondum insecutae erant, temere animum recepi. Aliquoties quidem vomuerat, haec vero accidentia tanti non videbatur momenti, utpote quae multos infestat. Praescribo medicamenta idonea, sed redit vomitus, omnia ingesta, ipsum opium, aliaque pharmaca protinus eiiciuntur. Adhibeo externa et clysteres, perinde incassum. Deiectiones non sunt numerosae, neque cruentae, neque mucosae, sed marcet animus, loqui eam piget, die decimo tertio exstinguitur.

Tandem de vitae contemtione disserendum est. Talis vero animi conditio, non tantum quatenus morbum exasperat, sed quatenus potius inevitabilem praecurrit mortem, in censum ducenda est. Differt multum a vitae taedio quod gignit gravis luctus; plerumque enim oritur

absque evidente causa externa. Aegri non quidem mori cupiunt, sed tamen mortem vilipendunt, eamque ipsi praenuntiant. Est vero contemtio vitae vel spuria vel vera. Spuria est duplex. Sunt, quorum mens rudis et incondita, de futuro nihil timet, nihil sperat. Hi brutorum instar animalium, praesentiae solum vivunt: tanta interdum est eorum stupiditas, ut, cum medicamenti alicuius ad leniendos vehementissimos dolores virtutem, propria experientia didicerint, vix tamen recrudescente dolore ad idem sedamen sua sponte refugiant. Vitae aeternae insuper tam inconcussa est fides, ut discessus ex hac vita, non maioris momenti eis videatur, ac nobis in vicinam urbem migratio. Talis autem vitae contemtio non est pertimescenda. Spuria altera, nihil est nisi mortis formido quasi personata. Sunt, qui mortem suam praenuntient, et ubi ad spem eos excitare velis, fere irascantur. Hi mortem timent, confiteri tamen timorem eos pudet: disputant cum medico de recuperanda salute, non ut iis assentiat; sed ut millies audiant, se in ullo non versari periculo.

Praecepta medici stricte observant, et si familiares in propinanda medicina sunt negligentes, eos admonent, medicamentaque postulant. Haecce animi conditio perinde non est pertimescenda.

At vera vitae contemtio, ominosum est signum. Tales homines de futuro morbi exitu non disputant: interdum solum adstanti sibi amicissimo, se certo morituros esse aperiunt. Verbis ad spem eos excitanti parum respondent. Ubi amicorum vel medici diligentiam vident, pla-

cidi subrident fere, ac si modo ex altiore sphaera, vana rideant mortalium consilia. Auxilium neque postulant, neque respuunt; accipiunt, ut amicis satisfaciant. Liberis fortasse ad lectum accedentibus interdum taciti blandiuntur, manu eos mulcent meditabundi, vultuque adspiciunt doloroso. Redit tamen brevi mentis tranquillitas; rebus terrenis eorum animi vix turbantur; ruptum est quodcunque dulce vinculum; devoti aequo animo vitae renuntiant. Haecce animi conditio, quae citra causam evidentem externam accidit, me iudice, vires vitales effetas et ferendo morbo impares designat, unde inevitabilis plerumque mors est. Qua vero ratione hisce aegris subveniendum sit nescio. Plures adhuc sunt animi affectus, quos observare et moderare prudentis est medici; cum vero meum sit propositum ista tantum tradere, quae propria me docuit experientia, de reliquis disputare supersedeo.

Restat, ut de cibo et potu disseram. Nullus sane est morbus, qui aeque curiosam ciborum electionem postulet, atque dysenteria; quod quidem nemo mirabitur, qui perpendit, canalem intestinorum in nostro morbo praesertim aegrotare, omnesque reliquas passiones a vehemente intestini irritatione pendere. (Cap. II.) Victus dupliciter considerari potest, respectu scilicet ponderis vel voluminis, atque qualitatum chemicarum. Primo quidem dysenteriae stadio, intestini plenioris est constrictio, et materia ingesta non descendit; quapropter tutius est, abstinere ab omni olere et carne. Reserato intestino, motus deorsum versus est nimius, et quamquam materia non

tritura, sed humoribus intestinis dissolvitur, requiritur tamen ad legitimam concoctionem, musculorum intestinorum regularis actio; quae cum nimis accelerata, materiae ad sui dissolutionem necessarium non conceditur tempus, quo fit, ut indigesta et fere immutata descendat. Hanc ob causam materia quaecunque solida, in dysenteria corpus non alit. Praeterea cibi solidi tam volumine quam pondere intestina irritant, motusque perversos augent; eos itaque ingerere alienum omnino est. At concoctionis explicatio quamquam hucusque omnibus nondum numeris est absoluta, pro comperto tamen habemus, materiam in intestinorum canale aliam subire mutationem, quam extra corpus subire consuevit; quapropter ii subinde allucinati sunt, qui experimentis in officina sua institutis, tam alimentorum, quam medicamentorum virtutes nos docere voluerunt.

Ad comparandos laudabiles humores, solidi vivi legitima requiritur actio; experimenta enim in vivo corpore instituta docuerunt, vasa specifico irritamento affecta, protinus alienos et acres humores secernere. (Cap. II.) Ad processum chemicum animalem in intestinis rite peragendum, laudabiles intestini requiruntur humores. Quo magis ergo solidum vivum a legitima sua actione recedit, eo magis humores a naturali sua mistura abludunt, eoque magis alimenta ingesta, naturae externae leges sequuntur. Quotidiana experientia id abunde testatur.

Dum quis bene valet, et firma est intestinorum compages, omnia fere olerum genera citra ullum incommo-

dum assumit, et cerevisiam vel vinum acidum insuper bibit. Ista mistura, quae loco aliquo tepido posita facile fermentationem subit, in ipso intestinorum canale non fermentat. At ubi infirmus aliquis talia devoravit, alius et alius in intestinis oritur processus; humores enim intestini, subigendae materiei impares, fermentationem non ex toto avertunt. Producitur magna interdum acidi copia, et spiritus vel intestinum cum molestia distendit, vel sursum et deorsum erumpit.

Neque ignorari oportet, in quibusdam corporibus concoctionem parvo subinde irritamento turbari. Qui exempli gratia equitationi parum adsueti post cibum equum conscendunt, et tolutim incedunt, hi, praesertim si oleorum varia genera ederunt, vinumque vel cerevisiam biberunt, protinus fermentationem acidam summe molestam in ventriculo persentiscunt; quae tamen vix oritur, si post cibum vel quiescunt vel ambulant. Hisce corporibus, succussatura irritamentum est alienum et insuetum, quo intestina affecta, materiei rite subigendae fere imparia, hanc a fermentatione acida vindicare nequeunt.

At in dysenteria, quae tanto tamque violento irritamento oeconomiam internam turbat, humóres ad subigendam escam idonei vix secernuntur, unde materia ingesta aliam prorsus mutationem patitur ac in corpore sano.

Si tanta oeconomiae intestinae gauderemus perspicientia, ut in omnibus morbis humorum alienitates secundum chemicae artis regulas definire possemus; facile esset dictu, quaenam esculenta in aliquo morbo vel nocerent vel con-

ducerent. Sed quamquam maximorum virorum, qua chemiae animali incumbunt solertiam dissimulare animus mihi non est, vix tamen diffitendum, istam artem a perfectione longe distare, tantumque inde nondum in medicinam redundare fructum, quam neoterici quidam temere sibi persuadent. (*) Quid? elementane in vivi corporis humoribus esse possunt, quae artificis catino vel vase retorto cogi nequeant, quae tamen mutua affinitate notis aliis elementis iuncta, discessu suo integram misturam alterent, ut misturae, qualis in corpore vivo vel fortasse ipsamet viva exstiterat, omnino dissimilis fiat? In hac rerum caligine consultius videtur experientiam solam sequi, et curiosa observatione eruere, quaenam esculenta aegris conducant, quibusque laedantur.

In universum pro comperto habeo, omnia pomorum genera aegris maxime nocere. In secunda quidem valétudine, intestina debilia talem materiem crudam et fer-

---

(*) De succo gastrico inquit *Perill. Fourcroy*, „aussi est-on „bien loin de pouvoir regarder encore l'analyse du suc gastrique „comme suffisante pour la physique animale; ce qu'on a fait, ne „peut encore être considéré que comme des essais préliminaires „propres à en faire sentir l'importance.“ (Système des connoissances chimiques etc. (Tom. X.) Et postquam varia circa succum pancreaticum experimenta allegavit, talis pronuntiat, „c'est au „reste une analyse nouvelle et importante a faire que celle de „ce liquide encore si peu connu, et cependant si intéressant à „connaitre pour la physique animale et la medecine.“ — Cum vero neque succi gastrici neque pancreatici naturam rite exploratam habeamus, multum profecto abest, ut digestionis processum explicare valeamus. Succorum autem illorum morbosae alienationes caliginosa nocte utique premuntur.

mentescentem non sine incommodo ferunt; oritur enim ventris inflatio vel alvi fluxus. Quid vero accidet, si intestinorum canali admodum irritabili et aegroto talia ingeruntur? Nonne eadem incommoda et quidem multo graviora ac in sanis? Oportet id saltem accipias, nisi contendere velis, ipsa dysenteria, intestinorum canalem roborari, et ad subigendam materiem crudam fermentescentem reddi aptiorem, quod tamen sanae rationi fere contrarium videtur.

Omnia olera et legumina, quamquam non aeque nociva, nihilo tamen minus proscribenda sunt; fermentationem enim subeunt, unde spiritus et acrimonia aliena. Talis quoque esca corpus parum alit; nam reserata intestini constrictione, integra et indigesta frusta, perinde ac in laevitate intestinorum descendunt. (*) Cum ergo iactura emolumentum longe praeponderet, tutius videtur in dysenteria neque olera neque legumina esse.

Hic locorum maxima incolarum pars, panem nigrum furfureum ingente vorant quantitate. Pessimum me iudice est alimentum, quod homines tantum operarii, quales sunt fabri qui gravem ferri massam longo procudunt die, vel qui lignatione vitam sibi reperiunt, vel qui vellaturam faciunt, aliave corpora duro exercitata labore mediocriter ferunt. Quisquis vero vitam sedentariam do-

---

(*) Idem observavit Degner, inquit enim pag. 17; „a quibusdam lientericorum more cibus, potus, medicamenta, omniaque ingesta, cruda non mutata eiiciebantur."

git, vel cuius intestinorum canalis minus firmus, a tali esca abstineto. Nostris regionibus ii, quorum facultates mediocres, cum aegrotant, iusculum sibi ex tali pane furfureo et cerevisia, vel lacte post butyrum residuo, syrupoque vulgari atro dulcatum parari curant. Talis vero pulticula in fermentationem prona, vel alvi fluorem auget, vel intestina spiritu distendens tormina facit. Non sine magna tamen opera, absurdum ferculum, quod priscorum medicorum consilio in morem venerat, relegavi.

Melius omnino est in dysenteria victu animali uti. Cum vero (quod supra monui) carnes fere indigestae descendant, tutius est iuscula ex carne aegris dare. Inter populum consuevit, iusculum ex vervecina extollere, nescio tamen rationem; ex bubula plurimis sapore iucundius, et idcirco praeferendum videtur.

At unum idemque quotidie esse non omnes iuvat, melius est iuscula modo ex bubula, modo ex vervecina, vel vitulina; vel gallinacea parare; neque alienum est oryzam vel hordeum decorticatnm adiicere, et pulvere nucis moschatae condire: hoc pacto aegri neque alimentis onerantur, neque fame pereunt. Succum citri iusculo miscere alienum est; omnia enim acida nocent, et si eo deiectiones quoque non augentur, tormina tamen exasperantur, subinde vero ambo taedia recrudescunt.

Quod siquis dicat: iuscula ex carne, perinde ac alimenta vegetabilia in intestinis infirmis mutationem patiuntur, et quidem multo peiorem, nam putredini sunt

obnoxia; respondeo: cum in hac re ad solam experientiam provocaverim, sufficiat profiteri, me ex iusculorum esu, nunquam incommodum aliquod observasse. Iurulenta ex carne, non aeque celeriter putredinem subeunt, ac fermentationem vegetabilia. In dysenteria praeterea (qualem ego saltem vidi) maior subest in aciditatem quam in putredinem proclivitas, neque ego primus id animadverti, varii potius scriptores huic observationi adstipulantur. Ultimo dysenteriae stadio dum in angusto res est, alvus cadaverosa quidem profluit, imo cutis exhalatio putridum spargit odorem; talis autem humorum corruptio a fatiscente vi vitali profecta, nequidem alimentis et medicamentis acidis corrigitur. In dysenteria Cliviensi, hisce notis obortis, tam acida vegetabilia quam ipsum sulphuris propinavi; frustra tamen, neque ullum aliud emolumentum inde observavi, nisi quod aeger mille excruciabatur tormentis. (*) At acida primo stadio data, putredinemne praecavebunt? — Talis quidem ratiocinatio artifices haud paucos seduxit; perpensa tamen dysenteriae natura evanescit fere nebula. Irritatio intestinorum praecipuum est nostri morbi momentum, unde reliliquae passiones originem trahunt. Humorum vero corruptio ab infirmitate virium vitalium pendet, haec vel a vehementia vel diuturnitate vel singulari et occulta irritationis ventralis natura. Quodsi ergo primo morbi stadio tam cibi quam medicamenta dantur, quae irritatio-

(*) *Jan de Reus* in tractatu suo inquit, „De Sp. Vitrioli is „mede onvoldoende bevonden, schoon door Jaques Guillemeau en „andere aangepreezen."

nem ventralem augent, vires vitales adhuc breviori spatio consumentur. (*)

Postremo potus quoque ratio habenda est. Hic locorum inter populum consuevit *coffeam* crebrius bibere, neque tunc quidem abstinere, cum aegrotant. Coffeae vero sorbitio in secunda valetudine alvum movet, quapropter prudentius videtur, in adversa ab ea interdicere. Theae infusum damnosum non est, imo multi aegri aliis potionibus id praeferunt. Nulla quoque est potio, quae aeque longum tempus uno tenore citra fastidium assumi possit. Tum neque alvum solvit, neque corpus excitat, sed cutis evaporationem blande promovet: virtutes certe laudabiles, quae theam aegris concedere hortantur.

Decoctum quoque hordei decorticati, vel avenae, vel alius cremor conducit. Veruntamen cum talis potus sit admodum insipidus, aegri facile eum fastidiunt. Oportet dehinc condimentum adiicere, qualis est nux moschata, cinnamomum, vel cortex citri, ut ista resipiat. At potulentum tale viscosum quibusdam corporibus est infensum; quae saltem acido sunt obnoxia, non diu sine incommodo, eo utuntur. Consultius ergo est, aliquando intercapedinem facere, et theae infusum dare, vel in eius vicem aquam cum lacte remixtam.

Vinum aegris plerumque nocet. Sunt quidem clari in arte viri, qui aliter sentiant; salva tamen horum auc-

(*) Hanc ob causam *Quarin in animadv. prac.* inquit, » reiicienda acida mineralia, cum dolor abdominis iis assumtis ingravescit. «

toritate confiteor, me nunquam vinum cum aliquo fructu dedisse, sed contra non mediocre damnum inde observasse. Vina praesertim Mosellana et Rhenana, tam dolores quam deiectiones augent; Gallica rubra quamquam non aeque nociva, nihilo tamen minus varia et quidem similia aegris creant taedia. (*)

Ultima adhuc lue aliquoties instantibus aegris, parvam vini quantitatem concessi: (notis nimirum obortis, quae evidentem nuntiabant sanationem; aegrorum enim periculo experimentum facere nefas) veruntamen resuscitatas inde intestinorum turbas fere semper observavi. Neque magna eruditione vel ingenuitate opus fuit observatori, utpote ipsi aegri varias ex vino molestias sentientes, sua sponte abstinuere. De industria interdum nociva concupiscentibus (modo ne sint in praecipiti) concedo, ut demum suo incommodo persciant, me vanae parum inhaerens theoriae, talia tantum praecipere, quae casta obsignaverit experientia. Hac solum via in nostro oppido eo perveni, ut aegri curate praecepta mea sequantur.

De cerevisia non est quod multum disseram; pauci enim aegrotantes ea delectantur. Ubi vero aliquis eam concupiscat, tutum est recente probe fermentata uti,

---

(*) *Zimmermann* omnia vina et spiritum damnat. *Degner* vinum Mosellanum et Rhenanum laudat; generosiora vero fortia et spirituosa, austera et adstringentia aegris fuisse nociva affirmat.

Hargens (Journal der pract. Heilkunde von Hufeland Tom. VII.) memoriae tradidit vinum generosum in statu debilitatis, aegris fuisse sospitale.

neque quotidie eam bibere, sed interdum. (*) Cerevisia, quam veterem vocant et magni faciunt nostri incolae, admodum est nociva; non mediocrem enim spiritus et aceti copiam continet. Postremo cavendum, ne aeger potum frigidum capiat, intestina enim frigore male afficiuntur. In universum sudoris ratio habenda est, ut potus tepidus, nunc calido, nunc egelido sit propior. Magnam quoque copiam una vice ingurgitare alienum; venter enim distenditur, unde nova molestia: singula vice modicam dare quantitatem abunde est.

De revalescentium regimine.

Quando faeces coacte descendunt, cibi cupiditas et somnus quietus redit; convalescentiae stadium adest. Qua ratione ipsa pronitas intestinorum in motus abnormes opio sit delenda, modo exposui, et in quamplurimis ampliori non opus est medicaminum apparatu. Cum vero subinde reperiantur, quorum intestinus canalis infirmus; prudentis est medici alia hoc stadio adhibere pharmaca.

Sunt, qui protinus ad corticem peruvianum tanquam ad sacram ancoram confugiant; ego autem nunquam magnum inde observavi emolumentum. Omnia amara et ad-

---

(*) *F. Hoffmann* de dysenteria anno 1626 observata inquit: „sicuti potus frigidus noxam inferebat insignem, ita praesertim „cerevisia, utut calida fuerit, maiores anxietates et dolores ac „acerbiora in abdomine excitabat tormina.“

F. Geach contra nullum nocivum cerevisiae effectum observavit (some observations on the present epidemic dysentery by Fr. Geach London 1781) translatio reperitur in *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte.*

stringentia non nisi summa cum cautela adhiberi possunt, quippe quae motus irregulares denuo resuscitent. Primo quidem, ad roboranda intestina conducunt aromata quae principio amaro fere carent, qualis est nux moschata et cinnamomum; deinde paulatim transitus est faciendus ad aromata amara, inter quae merito cortex Winteranus extollitur. Hicce tamen cortex, quem subinde ad sistendum alvi fluorem chronicum, vel ad eundum scopum in febribus nervicis optimo cum successu dedi, post dysenteriam interdum alvum movet. Hoc casu tutum est protinus quantitatem minuere, et guttas aliquot tincturae opii adiicere. Ubi dehinc animadvertitur, intestina illud pharmacum citra incommodum ferre, alia amara, in auxilium vocari possunt, quale est extractum Gentianae vel Quassiae, habita tamen semper ratione irritabilitatis intestinorum. Amara, parva quantitate, et cum guttis aliquot tincturae opii remixta conducunt, magna vero quantitate nocent, quia alvum movent. Neque sufficit magnae horum pharmacorum quantitati, maiorem quoque opii iungere; hoc pacto alvus quidem non movetur, sed aegri nullum tamen fructum inde percipiunt; cibi cupiditas non augetur, sed minuitur, imo sensus placidus sanitatis fere evanescit: quapropter consultius est, abstinere ab omni vehemente medicina. Etsi generalia praecepta circa medicamentorum dandas quantitates proponi nequeunt, sensus tamen ingratus, qui assumtam medicinam roborantem insequitur, quantitatem minuere suadet; non enim de turbandis sed de sedandis intestinis agitur.

Eadem quoque est observatio de cortice peruviano. Ubi aliquis hunc ad roborandum corpus adhibere volit, caute circumspiciat, an intestina eum citra incommodum ferant. Pulvis est alienus, melius decoctum vel extractum cum aromate et guttis aliquot tincturae opii remixtum. In augenda quantitate suspenso oportet gradu procedere.

Omnia tâmen ista de corporibus tamtum infirmis dicta sunto. Quamplurima hisce medicamentis non egent, sed solo opio perfecte sanari possunt: ego saltem maximum numerum opio, et praesertim observando quantitatis temperamentum perfecte sanavi.

Apta vero diaeta omnibus necessaria, cuius cardo videtur, paulatim ad pristinam et suetam vitae rationem transire. Qui revalescentes, subito aëri frigido se exponunt, facile dolores artuum, tussim aliaque mala contrahunt; cutis enim, continua sudatione et lecti tepore irritabilis, subitanea aëris frigidi impulsione vehementer afficitur. Non defuerunt, qui ista taedia materiae dysentericae non sufficienter eversae imputaverint; alii rheumatismi ex intestinis ad artus migrationem observare sibi persuaserunt. Ubi talia figmenta, cum modestia quadam proponuntur, benevolo ea accipiamus animo, ubi vero cum arrogantia nobis obtruduntur, merito ridentur.

Rheumatismi, tusses, aliaque mala, quae interdum dysenteriam secuta sunt, maiori duntaxat cum verisimilitudine, ex irritabilitate cutis, continua sudatione contracta explicantur; ad illa proinde evitanda non opus

est medicamentis sed diaeta. Aeger non subito aëri corpus exponat sed paulatim. Prima vice die sereno et calido prodeat, non in umbra recubet, sed in aprico citra fatigationem se dimoveat, et tam diluculi quam crepusculi rigora vitet. Mane et vesperi vestimentis calidioribus utatur, et si deinde recuperatis viribus, coelo etiam frigido prodire officium eum vocat, pallium sibi iniiciat; hac fere cautela observata, ab omni taedio immunis manebit. Ego magnum aegrorum numerum sanavi, sed paucos novi, quos post superatum morbum vel rheumatismus vel tussis vel aliud malum infestavit.

De victu similis observatio. Oportet paulatim ad suetam escam transire. Primo quidem bubula succulenta conducit, vel avis, vel pisciculus, vel venatio, deinde olus; hoc tamen pacto, ut corpora infirma, carne aliquod tempus utantur, antequam ad olus transeant. Subinde accidit, ut inexpugnabilis cibi cupiditas superatum morbum sequatur; tunc quidem timendum, ne aeger magnam nimis ciborum copiam ingurgitet, qua intestina subigendae tali massae imparia irritentur. Hoc casu cibi cupiditatem oportet moderare, quod fieri potest, si aegro aliquoties ante prandium cyathus iusculi ex bubula datur; item coenaturienti iusculum pro merenda commode adponitur. In universum revalescentibus victus conducit simplex, omnia fercula composita sunt proscribenda. Post prandium quoque corpus dimovere nocet, tutius est modica meridiatione uti.

Potus refrigerans est nocivus, cerevisia recens et fermentata conducit. Vinum generosum mediocri quantitate

assumtum hoc stadio ad roborandum corpus merito extollitur. Sunt tamen corpora, quae etiam hoc stadio vinum non ferant; tunc tutius est ab eo abstinere, laudatissimus enim potus, qui alvum quodammodo movet, ad roborandas vires parum iuvat.

Tandem revalescentes abstineant, quantum id fieri potest, ab omni negotiosa cogitatione et actione, omniaque sedulo caveant, quae exasperatura eorum animos sint: amicorum quaerant conversationem, ioculatorum potius quam morosorum; diffusio enim animi ad recuperandas corporis vires praestantissimum est auxilium.

De dysenteria recidiva.

Non desunt scriptores, qui recidivam observasse dicant; alii eam non observaverunt, atque his ego adstipulor. Ad evitandam vero omnem ambiguitatem necesse erit definire, quid sit dysenteria recidiva. Est autem (me iudice) intestinorum irritatio, omnibus notis, vel saltem plurimis capite primo descriptis stipata, in idem corpus, quod eodem anno iam infestavit, et in quo ipsa pronitas in motus abnormes fuit exstincta, hac ratione cadens, ut sui diuturnitas quaedam sit. Hanc recidivam nunquam observavi, spuriam vero subinde. Qui secundo morbi stadio, ubi mucus et cruor non amplius descendunt, sed stercus liquidum vel pultes stercorosae, dysenseriam iam fugatam credit, is recidivam crebrius videbit; commisso enim diaetae errore, turbae intestinorum recrudescere possunt, et tunc quidem mucus vel cruor descendit, et febris denuo incenditur. Talis morbi nondum

sanati exacerbatio subinde recidiva audit. (*) Interdum medici perversam suam curandi rationem, tali pronunciatione a vituperio vindicare tentant: Dysenteriam quidem sanaverunt, sed pro dolor! recidiva aegrum, cuius vires primo morbo praesauciatae, rapuit: certi sunt denique artis humanae fines et inevitabile fatum. Audio! sed talia fantem commoneo, ut infrunitam excusationem plebi potius quam medicis impingat; ubi enim turbae intestinorum non solum moderatae, sed revera compositae sunt, morbus eodem anno vix recurret.

Altera recidiva spuria non est magni momenti. Aliquoties accidit, ut perfecte sanatus aëri frigido corpus temere exponendo desidendi cupiditatem protinus persentiscat, et mucus virgis cruentis sparsus sine stercore descendat. Quem verbis ludere iuvat, extemplo clamabit: ecce dysenteria recidiva! sed multum differt a dysenteria talis

(*) Tales recidivas fortasse observavit *Pringle*, qui descriptis obstaculis curationis externis inquit, „ Add to this, that no dis„ temper is mor subject to a relapse; en that frequent relapses, „ by relaxing the tone of the intestines and eroding their villous „ coat, bring on at last an habitual diarrhoea, that hardly ad„ mits of a cure. "

Zimmermann recidivam in duobus tantum observavit.

Hargens contra inquit, „ Recidive waren leider sehr häufig „ und meistens gefährlicher als die erste Krankheit, " (Hufelands Journal tom. VII.) Plura scriptorum loca pugnantia compendii causa praetermitto, quia puto, magnam discrepantiam in neglecta potius *Recidivae* definitione quam in disgrega morborum natura esse sitam.

intestini recti irritatio, quae nullam habet diuturnitatem, sed momentaria est. Plerumque sua sponte evanescit, si aeger ad focum considit, vel lecto se committit, vel guttas aliquot tincturae opii capit: sed omnibus his auxiliis neglectis, levicula ista intestini recti irritatio in dysenteriam tamen non transit, sed per noctem quiescente aegro evanescit. An vero is, qui dysenteriam levioris notae mense Maii vel Junii passus est, eodem autumno a dysenteria populariter grassante immunis sit, nescio. Ego tales aegros eodem autumno in luem incidisse non recordor; cum vero illis mensibus solummodo unus et alter aegrotet, fieri potuit, ut autumno, pauci tales, fortuito tantum a lue immunes manserint.

CAP. V.

De dysenteriae accidentiis quibusdam singulatim.

De vomitu.

Triplicem notavi vomitum. Primus oritur nervorum consensu, ex irritatione intestinorum, et hic quidem vulgatissimus est. Non pendet solum a vehementia irritamenti, sed a relatione, quae irritamentum inter, et irritabilitatem corporis intercedit. Si in. vasto corpore vehemens irritatio in intestina cadit, ventriculus vix movetur, in corpore contra infirmo et irritabili, ex parva intestinorum irritatione oritur vomitus. In universum proindè foeminae huic passioni magis sunt obnoxiae quam viri. Plerumque nihil reiicitur nisi ventriculi contenta et parva bilis copia, perinde ac in sanis corporibus.

Ad tranquillandum ventriculum, utplurimum singulari non opus est auxilio, potio viscosa sedans supra memorata, omnem absolvit numerum. Interdum primum cochlear reiicitur, oportet tunc protinus secundum dare. At si eodem die crebrius recurrit vomitus, tutius est potioni addere medicamentum, quod specifica virtute vomitum compescat. Ex horum vero pharmacorum tribu, calx Bismuthi (*Bismuthum oxidatum album*) omnibus palmam praeripit. Grana plerumque quindecim potioni adiicio, et hoc modo vomitum compesco. Ubi vero haec quoque medicina redditur, oportet calcem Bismuthi cum saccharo mixtam, solam porrigere, et potionem post exiguum spatium superdare. Quando id aliquoties factum est, ventriculus potionem absque praegresso Bismutho retinet.

Si medicus aliquis ruri medicinam facit, et oppidanum, cui mane medicamenta praescripsit, ante vesperam revisere nequit, tutius est, protinus calcem Bismuthi potioni adiicere, quanquam necessitas id non postulet; esto enim necessarium non sit, noxam tamen inferre nequit, et prudentius videtur, omnem cautelam adhibere, ut aeger absentis medici opem neque incassum imploret neque egeat. Si post primam potionem ventriculus quiescit, secundae et tertiae adhuc Bismuthum miscere utilissimum est, siquidem in corporibus irritabilibus vomitus facile recurrit. Interdum audivi medicos, qui calcem Bismuthi contemnerent, perinde ac si inefficax esset medicina. Hi fere medicamentorum virtutes secundum qualitates sensibiles diiudicare videntur. Non diffi-

teor quidem, pharmaca omni sensibili qualitate orba, a primo inventore coeco fortasse consilio esse adhibita: cum vero usus ea probavit, non est, cur medicus rationalis propter hanc qualitatum sensibilium orbitatem, a tali pharmaco abstineat; ego saltem non aliquoties Bismuthi virtutes, sed centies in dysenteria expertus sum.

Interdum magna aciditatis copia in ventriculo nascitur, unde vomitus augetur, et non nisi medicamentis acidum absorbentibus calci Bismuthi iunctis compescitur. At longe difficilior curatu est vomitus, qui non ex nervorum consensu oritur, sed ex ipsa locali huiusce organi irritatione. Hoc casu potio supra memorata indesinenter redditur, perinde calx Bismuthi aliaque pharmaca et potulenta. Interdum alvus profusa fertur, interdum deiectiones non sunt numerosae, et aquosae potius quam mucosae cruentae, tenesmus et tormina modica. Omnia medicamenta, forma pulveris vel potionis data, protinus reiiciuntur, non propter qualitates suas irritantes, sed quia ipso suo pondere et volumine ventriculum proritant; nam ipsum potum viscosum insipidum aegri extemplo evomunt. Quanquam sana ratio clysteres ex opio hoc casu adhibere suadeat, nullum tamen ex hoc auxilio animadverti fructum. Tutum est, ex opio et calce Bismuthi cum gummi Arabico catapotium facere, in potum viscidum immergere ut lubricum fiat, dehinc aegro dare; quod cum devorat, et nihil superbibit, ventriculus neque volumine ingesti irritatur, et catapotium vel paulatim in ventriculo, vel ad intestina delapsum dissolvitur. Hoc modo ad sedandos ventriculi nervos medicinae tempus

datur, et vomitus plerumque desinit. Ubi vero nihilominus vincit, oportet cantharidas festinanter in usum vocare, et ventriculo imponere. Atque quia hoc venenum, adversaria irritatione ventriculi turbas moderat, emplastrum palmae saltem magnitudinis applicari debet. Caeteroquin omnia emplastra, unctiones et fomenta varii generis frustra adhibui, et ubi vomitus neque cantharidum emplastro, neque catapotiis illis cedit, aeger in praecipiti est, ac fere semper moritur. Monendum tamen videtur, talem irritationem ventriculi localem subinde non occurrere. Ultima lue quatuor tantum hac passione affectos curavi, quorum unus exstinctus est. Puellula nempe decem circiter annorum, ab initio indesinenter vomuit. Dolores non erant vehementes, deiectiones cruentae parum numerosae, bis ad summum quaque hora deiecit, neque crebra et inanis desidendi cupiditas eam vexavit. Vomitu reiectus est nunc cruor pituita mixtus, nunc pituita aquosa pura. Omni auxilio incassum adhibito, die sexto miserrima exstincta est. (*)

Tertia vomitus species, ex ipso opio oritur. Interdum enim contingit, ut dato hocce medicamento, intestinorum motus deorsum versus, serius ocius ex toto silescat. Ubi tunc quidem medicina continuatur, motus oritur sursum

---

(*) Vomitum cruentum pessimi fuisse ominis testatur *Degner* pag. 23.

Thom. *Bartholinus* dysenteriam epidemicam anno 1652 describens (historiarum anatomicarum Cent. II. hist. LXV.) inquit, „ in dysenteria pura, ex qua eluctati plures, nonnumquam sanguis per vomitum et secessum reiectus. "

versus, omniaque ingesta vix in ventriculum illapsa, protinus reiiciuntur. Facile hicce vomitus cognoscitur, quippe qui fluente alvo nunquam incidat; facile quoque evitatur, dummodo oppilato ventre opii danda quantitas minuatur. Alia autem oritur quaestio: an prudentis sit medici, illud taedium semper avertere? Quod quidem nego. In leviori aliquo casu, cum palam est, aegrum vita non periclitari, officium videtur medici, ab omni ingrata et molesta passione eum vindicare. At quando lues perniciabilis in cives grassatur, et medicus in decumbente aliquo, magnam intestinorum animadvertit irritabilitatem, motumque deorsum versus admodum obstinatum; utile omnino est, hoc motu sufflaminato, opium eo usque dare, donec motus oppositus incidat. Medici aegris vomitoria propinaverunt, non, ut aiunt, ad everrendum morbi fomitem, sed ad ciendum in intestinis motum deiectioni oppositum. (*) In leviore aliquo casu morbus eo recidi poterit, in graviore sane nunquam. Vomitorii enim brevis operatio multoties quoque repetita, ad exstinguendum vehementem intestini inferioris motum non sufficit. Praeterea omne medicamentum vomitorium, non solum sursum, sed una deorsum operatur, quo fit, ut morbus eo augeatur. Verum equidem est, vomitorii operationem, qua motum sursum versus augeat, operationi deorsum versus longe antecellere; sed non ignorare oportet, intestinum cana-

(*) *F. Hoffmann in Med. Rat. System. Tm III. pag.* 480 inquit, „ quoniam vomitu invertitur in ventriculo motus peristalticus deorsum tendens, per consensum etiam in intestinis si in „ diarrhoea vel dysenteria nimis intensus est sufflaminatur, et alvi „ fluxus ad tempus sistitur. “

lem hoc morbo in motum deorsum versus praesertim esse proclivem, minimoque proinde irritamento vehementer moveri; siquidem potentiae alicuius in organo aliquo operatio, non a potentiae natura, sed a relatione potissimum pendet, quae inter potentiam et organi irritabilitatem intercedit, quod manifestius est, quam ut subinde dicendum sit. Quapropter palam est, leviorem dysenteriam vomitoriis posse recidi, graviorem exasperari. In medicorum monumentis legimus, vomitoria subinde optimo cum successu esse data, interdum prorsus infausto. Nemo certe his, quae modo dixi, probe perpensis hanc scriptorum discrepantiam mirabitur. (*)

At cum nihilominus perpetuum fere sit, motum in organo aliquo excedentem cito adversario motu posse mo-

---

(*) *F. Hoffmann* in Med. rat. system. dysenteriam anno 1626 describens testatur, vômitoria et laxantia in illis, quos benignior morbus infestasset, fuisse salutaria, in aliis vero, quibus cum maligniori decernendum, eadem auxilia fuisse nociva, morbumque exasperasse.

Degner Cap. III. §. XXVI. inquit, „Boni eventus signum „erat, si aegri bilem flavam (scilicet post assumtam Ipecacuan„ham) aut viridem vomitu vel etiam per alvum eiiciebant, et „alvi fluxus minuebatur; intestina nondum infecta fuisse hoc in„dicabatur, et aeger intra paucos dies a fluxu liberatus convales„cebat.“ — Tales casus fuisse leviores, quisque intelliget, siquidem irritatio intestinorum paulo vehementior, cuiuscunque demum sit naturae, non intra paucos dies sanatur. Quisquis vero de hac re dubitat, sequentem legat paragraphum; „ubi vero „post eius usum (scilicet Ipecacuanhae) alvi fluxus non solum „modo non minuebatur, sed potius augebatur, et vires deficie„bant, hoc pro malo indicio semper habendum erat; indicabat „enim putrescentiam et colliquationem humorum iam superavisse

derari, nihil sane ad compescendum intestinorum motum deorsum versus aptius cogitari potest, quam ipsum opium eo usque datum, donec motus adversarius praeponderet. Atque in eo quidem claros in arte viros secutus sum, hoc solum discrimine, quod ad ciendum in intestinorum canale motum opposisum, habita morbi ratione, aliud prorsus elegi pharmacum, quod tutius vomitorii vicem adimplet. Experientia subinde me docuit, oborto tali vomitu aegrum in vado esse. Non sufficit autem semel vel bis vomere, necesse potius est, motus ille adversarius aliquod spatium teneat. Aeger plerumque continua nausea vexatur, omniaque ingesta, ipsa aqua pura brevi reiiciuntur. Ubi medicus id animadvertit, medicinae vacationem concedat. Interdum talis vomitus integrum diem noctemque tenet, desinit vero ubi alvus redditur. Facta deiectione alvina, denuo oportet opium propinare, habita tamen stercoris ratione, ut cum id tenue sit, bre-

---

„ aegrotum, et intestina infecta semper magis relaxari, quam „ corroborationem aut adstrictionem admittere, et tunc eventus „ plerumque solebat esse lethalis. "

Hoc loco theoriam et explicationem Degneri pensi habere non debemus, sed tantum suas observationes. His rite consideratis elucescit, vomitorium in levioribus casibus fuisse salutare, in gravioribus maxime nocivum. Idem, ni fallor, in dysenteria simplici semper observabitur. Ubi enim gravis irritatio in intestina cadit, et non solum crassa sed tenuia afficit, necesse est, vomitoria noxam exasperent. *Vogel* (in praelect. Acad.) lepide comparat vomitoria cum sternutatoriis, quae coryza laborantibus dantur; uti haec irritant, et narium tunicam inflammant, ita quoque vomitoria intestinis graviter affectis novum stimulum addunt, et eorum irritationem augent.

vioribus intervallis propinetur, cum coactum, longioribus, qualiter capite quarto uberius id explanavi.

Si autem medicus grassante dysenteria, magno aegrorum numero opem fert, omnes sane multoties de die visitare nequit. Facile quidem est, aegris educatione formatis medicamentorum effectum exponere, cantelasque necessarias indicare, ne vomitus incidat, eisque nequidem periclitantibus, talique proinde taedioso auxilio non egentibus supervacuam creet molestiam. Inconditae vero plebi talia explanare parum iuvat. Si tali homini singula hora unum cochlear capere praecipis, te intelliget. Si vero de pharmacorum effectu, de notis quibusdam quae oriri possent, de assumendae medicinae intercapedine disserere velles, vel nihil de hac disputatione comprehenderet, vel te tamquam ignarum et in arte minus expertum contemneret; quapropter prudentius est multa verba non facere. Tali modo autem citra necessitatem interdum oritur vomitus. Si aliquis quaerat, quibusnam auxiliis talis supervacuus vomitus componi possit, respondeo: optimum auxilium est, nihil moliri, sua sponte enim desinit. Omnia medicamenta protinus reiiciuntur, et externa incassum quoque adhibentur. Fortasse alvi ductio ventriculum tranquillaret, sed vesanum prorsus esset consilium, iucunditatis causa alvum clystere sollicitare, quam comprimere totius est curationis cardo. Plerumque amici decumbentis, oborto vomitu pessima quaecunque timentes, non sine anxietate opem medici implorant: eo tamen terreri non convenit. Saepenumero talem exasperationem obnuntianti, tranquillo vultu spopondi, aegrum nequidem

ulla medicina egere, vomitumque sua sponte esse cessaturum. Obstupuit quidem nuntius, sed deinde vomitu sua sponte evanescente, tam aegrotus quam adstantes pro maximo et expertissimo me habuerunt artifice.

De torminibus.

In universum tormina ventris mediocria et toleranda observavi, quod vero medendi potissimum rationi adscribendum puto. Si fortasse Rheum, salia media similiaque pharmaca aegris dedissem, maiorem quoque cruciatum essent passi; siquidem priscis sane temporibus hoc perverso auxilio tanta tormina orta sunt, ut aegri non citra eiulatum ea ferre potuerint, quae res in hunc usque diem adhuc sermo est inter populum. Non diffiteor autem, morbum suapte natura esse tormentuosum, praesertim cum per aliquod tempus tenuit; quod subinde in pauperum casis notavi, ubi alteri auxilium ferendo, alterum omne auxilium respuentem observare licet.

Saepenumero morbus primo etiam obortu magnis est stipatus doloribus, sed utplurimum ad eos compescendos singulari non opus est medicina. Plerumque aegri, accedente medico, vel arenam calidam, vel lanae hapsum, aliave promta ventri imposuerunt. Ubi dolores non sunt vehementissimi, laudo tale auxilium, gnarus nimirum, opium hoc casu omnem absolvere numerum. Sin vero vehementiores urgent, optimum est, furfures cum aqua calida commixtos et in linteum coniectos superimponere. Oportet autem huius malagmatis habere duas portiones, quarum altera supra prunam sit posita, altera ventri in-

cubet, quo haec cum refrixerit renovari possit. Hac ratione, dato simul opio, sudor erumpit, et tormina remittunt. At ubi pertinaciora sunt, oportet ventrem linimento volatili crebrius inungere, pannumque laneum hoc linimento illitum superimponere. Sin vero et hoc auxilium parum proficit, tutissimum est cantharidas adhibere, largumque emplastrum loco dolenti adplicare. Raro tamen necessitas me coëgit ad hoc auxilium transire. (*)

(*) Etsi instituti nostri ratio non postulat aliorum medicorum curationes examinare et trutinare: non possum tamen, quin hoc loco unam observatorum discrepantiam curiosius examinem. Fuerunt, qui dicerent, medicamenta alvum laxantia ad sedanda tormina commode adhiberi: alii contra dolores inde exasperari proposuerunt; quid? quod ipsa bruta multitudo a laxantibus multoties a medicorum tribu publice collaudatis, propter ipsam torminum exasperationem caute abstinet. Unde ista discrepantia? Mea sententia circa hanc rem est fere talis. Torminum ratio, praesertim primo morbi stadio, est duplex; vel irritatio intestinorum motu huiusce organi deorsum versus se exserit, vel motu prorsus abnormi, ita ut intestina nunc hic nunc illic constringantur, nunc sursum nunc deorsum moveantur, horum autem motuum certus non sit tenor. Ubi primum locum habet, ubi motus deorsum versus excedens tam in intestino tenui quam in crasso se exserit, et dolores ex ipso hoc motu deorsum versus violento oriuntur; purgantia etiam mitiora augendo hunc motum tormina multum exasperant. Ubi vero insequens irritationis forma observatur, id est, ubi motus deorsum versus est fere nullus, sed intestina tenuia vario et abnormi modo distorquentur, dolores (qui plerumque hoc casu sunt admodum violenti,) non a vehementia irritationis sed ab ipsa forma irritationis pendent. Ingesfis purgantibus intestina ad motum deorsum versus stimulantur, hac ratione irritationis forma mutatur, et dolores a forma potius quam ab intentione irritationis pendentes evidenter minuuntur. Dixerit aliquis: laxantia hoc casu sordes eliminando torminibus mederi Id tamen nego; aliquoties enim mense Maii vel Junii obortis ve-

Interdum reserata intestini constrictione et descendente stercore, alvus ex toto comprimitur subito, et dolor eius est. Hoc casu tormina a magna stercoris massa oriri possunt. Quo id dignoscatur, oportet circumspicere, utrum luem aliquot dies praecesserit alvus liquida, an obstructa; prima intestinum canalem ante perfectam luem

---

hementissimis torminibus, opio neutiquam cedentibus, laxantia propinavi, et iam ante deiectionem tormina multum imminuta observavi. Imo dum hocce hypomnema huic capiti addo, mense scilicet Julii anni 1805 virum curavi, quem ingestis laxantibus duabus saltem ante deiectionem horis a torminibus fere immunem observavi. Quare vero mihi similius videtur, laxantia hoc casu ciendo motum deorsum versus, et mutando proinde irritationis formam, torminibus mederi.

Quaeritur autem: utrum tale auxilium grassante lue perniciosa possit adhiberi. Ex mea sententia anceps est auxilium; quid enim iuvat irritationis formam mutare, si in peius mutatur? Mense Maii et Junii irritatio intestinorum est exigua. Vehementissimi dolores, qui a forma huiusce irritationis potissimum pendent, mutata hac forma disparent. Hoc tamen casu certus sum, novam irritationis formam, quam ope purgantium feci, non esse periculosam; siquidem alvi fluor hac ratione citus, paucis diebus componitur. Ita exempli gratia virum, cuius modo mentionem feci, quatuor dierum spatio a diarrhoea et febricula inde profecta propinato opio liberavi. Sed grassante lue, maxima omnibus corporibus inest ad alvum liquidam proclivitas. Torminibus itaque propinata purgente medicina levatis, nova irritationis forma hoc auxilio facta aegrum necare potest: quare consultius videtur a purgantibus abstinere. Si vero ex ipsis torminibus aeger vita periclitatur, et certa auxilia nihil proficiunt, prudentis videtur medici, anceps potius tentare auxilium quam omnino nullum. Quoniam autem grassante lue necessitas nondum me coëgit ad talem medendi rationem confugere, siquidem eo tempore motus deorsum versus sua sponte praeponderat: ulterius de hac materia disputare supersedeo.

iam eversum accipere suadet, insequens faecibus refertum, praesertim si aeger ante luem cibum frequenter et fortiter assumsit. Curatio est: stercoris descensum secundare, quod fieri potest seponendo opium, dando sedantia quae alvum non comprimant, quale est Castoreum, Hyoscyami extractum, et imponendo ventri malagma aliquod calidum; neque alienum est oleum tepidum ex inferiore parte inditum. Descendente stercore (quod interdum coactum est) tormina remittunt. Iam in potestate est medici, naturae ad eliminandum stercus tantum temporis concedere, quantum ei placet; seposito enim opio, vel parca manu dato, motus deorsum versus sponte augetur, omniaque canalis contenta expelluntur. Hac ratione aliquoties duos dies stercoris descensum secundavi. Tutius vero est, ubi alvus denuo nimis fusa fertur, opium parca manu dare, quam omnino seponere; timendum enim, ne ipsa stercoris expulsione, taediosa morbi exasperatio oriatur.

Sin autem ante formatam luem alvus aliquot dies fluxit, absonum tunc prorsus est, stercus alvinum pro causa torminum habere; nam in secunda valetudine, si post validum cibum alvus tenerrima fluit, materia ingesta certe post unum diem non amplius in intestinis sed in latrina est, et venter iunceus fit et vacuus.

Aliquoties secundo morbi stadio descendente stercore, magna spiritus copia intestinum distendit, unde tormina. Dignoscitur ex inflatione ventris, ex dolore a distentione, ex opportunitate ad contrahendum spiritum, quae aegro in secunda valetudine fuit familiaris, ex levamine quod percipit dum spiritus ex inferiore parte transmittitur. Raro

descendente stercore liquido, spiritus in intestinis abundat; quando autem spissescit stercus, tunc faciliori spiritus descensui obviat, unde intestinorum distentio et dolor. Curatio est: liberum spiritus exitum promovere, quod fit imponendo ventri fomentum calidum ex herba aliqua acromatica, qualis est Maioranae vino incocta, vel alia. Pauperibus ex furfure et aqua malagma calidum, insigne crebrius attulisse levamen memini. Circumspiciendum quoque est, an alvus sit compressa, an adhuc moveatur. Ubi primum animadvertitur, oportet opium seponere, et intestinis motum aliquem deorsum versus concedere, quo spiritum sibi molestum facilius expellant: si vero insequens locum habet, non convenit opii usurpationem intercapedinare; subest enim intestinorum summe irritabilium magna infirmitas, qua propellendo spiritui redduntur imparia. Iuvant fomenta aromatica, neque alienum est, guttas aliquot olei Foeniculi vel Anisi vel aquas ex his destillatas propinare.

Subinde vero tormina secundo dysenteriae stadio sua sponte evanescunt, neque opus est multa medicina. Ubi ergo pauper inquit, se tormina ventris sentire; honesti est medici, non protinus magnum movere tumultum, medicamentaque praescribere multa interna et externa; indigens enim, esurientibus potius liberis panem necessarium, quam sibi medicinam supervacuam emat. Plerumque sufficit ei spondere, dolores sponte esse cessaturos, et malagma ex furfure, vel aliud promtum ventri imponere. Admodum raro saltem hoc stadio dolor me necessat, ad aliud confugere auxilium. Si contra mulier dives et multivola,

tormina lamentatur, auxiliumque efflagitat, age! adhibeamus omnia auxilia ad componendos dolores, ne negligentiae speciem praebeamus, et medicamentario damnum inferamus.

Subinde tamen tormina hoc stadio acrimoniam chemicam pro sua causa agnoscunt. Hoc casu incassum omnia adhibebis auxilia supra memorata. — Mulieres tandem occurrunt spasmis obnoxiae, quae ubi torminibus vexantur, singularem quoque deposcunt medelam; uti enim talia corpora communes naturae leges fere non sequuntur, sic communem quoque medendi rationem non admittunt.

De tenesmo.

Haec passio omnes fere infestat, sed raro in adultis ad talem acerbitatem pervenit, ut singularem curationem deposcat. Olim quidem medici dysenteriae pharmacis purgantibus medentes, istam accidentiam crebrius observaverunt; hodie cum medicamentis sedantibus curationem tentamus, tenesmus quoque in universum tantam aegris non parit crucem. Interdum vero accidit, ut aliquem supra modum infestet, quo quidem casu officium medici circa aegrum est, hanc passionem moderare. Curatio est: irritationem intestini recti tranquillare, quod fit iniiciendo ex inferiore parte opii tincturam cum hordei cremore mixtam. Plerumque aegro gratum non est, liquorem ano indere, siquidem anus est admodum irritabilis. Hanc quoque ob causam aliqui sedamen ex iniecto liquore sperandum, irritatione ex operatione orta

praeponderari credunt. (*) Verum equidem est, si tonsor laevus cum ingente clystere, cui fistula trabalis est adplumbata, anum adoritur, tunc intestinum vehementer irritatum, liquorem iniectum vi protinus expellit, et aeger secunda vice talem operationem bono animo vix tolerabit. Si vero ope parvi siphunculi, tenui, polita et lubrica fistula instructi, unciae duae vel tres liquoris iniiciuntur, ani irritatio fere nulla est.

De opii quantitate in universum nihil praecipi potest: guttae triginta plerumque sufficiunt, subinde tamen urgente necessitate ad sexaginta et ultra augeri possunt. Ratio est habenda irritabilitatis intestini recti; ubi in eo liquoris est longa mora, parvam opii quantitatem iniicere sufficit; sin vero brevis, maiorem. Tutissimum est, prima vice mediocri quantitate uti, et suadente necessitate eam augere. Oborta deiectione, denuo oportet istum liquorem in anum indere, et hanc curationem toties reiterare, quoties aeger desederit, donec tandem crebra et inanis desidendi cupiditas sit moderata. At si aeger opium ano iniectum diu retinet, necesse est, medicinam quam assumit, vel longioribus intervallis propinare, vel omnino se-

(*) *Richter* inquit, » In Klystiren half der Mohnsaft wenig » der mechanische Reitz bey der Application des Klysters, er- » regte und vermehrte die Schmerzen, und so lange die Krank- » heit heftig war, behielt der Kranke selten das Klystir so lange » bey sich, dass es wirken konnte. «

Hufeland contrarium tenet, » Iniectionen in den Mastdarm » waren ein sehr wesentliches Mittel zur Heilung einer Krank- » heit, die ihren Sitz im intestino recto und Colon hatte. «

ponere. Opium enim in intestino retentum, modo aliqua sibi sit mora, in universum intestinorum canalem, imo in universum corpus operatur; necesse itaque est, hunc effectum computare, ne oriatur vomitus vel aliud taedium.

Unum adhuc monendum videtur. Duae me iudice sunt causae, quare opium ano iniiciendum cum cremore aliquo misceamus. Primo scilicet, ne particulae opii acres subito intestinum afficiant, sed paulatim; minima enim impulsione opus est ad excitandum tenesmum. Deinde, ut cum protinus tenesmo expellatur, sui tamen aliquae particulae visco mixtae, intestini parietibus adhaerant, nervosque pacificent, quo factis quodammodo induciis, secundae iniectioni quaedam concedatur mora. In hac itaque curatione eo videndum est, ut cremor, cum quo opium misceatur, non sit nimis viscosus; particulae enim opii visco nimis involutae, vel ad sedandam intestini irritationem nihil tribuunt, vel earum operatio est admodum tarda, ita ut desidendi cupiditas oriatur, antequam vel quidquam ad pacificandos nervos effecerint. Haud pridem est, ex quo leviculam hanc cautelam adhuc casu aliquo firmatam vidi. Viro, tenesmo violento vexato opium cum hordei cremore in anum iniici praecipio: altero die rediens accipio, ter illud auxilium frustra esse tentatum, inspicio cremorem, eumque nimis viscosum deprehendens aqua diluo, et cum opii tinctura remixtum denuo indere iubeo. Haec cautela effecit, ut liquor duas integras horas in intestino retentus tenesmum magno cum aegri gaudio levarit. Deinde quoque caloris temperatu-

ram materiae iniiciendae advertere debet medicus; si enim liquor vel nimis calidus vel ſrigidus iniicitur, anus eum retinere detrectat. Optimum est, ut calorem animalem aequet, quo aeger eius in ventrem transitum sensu non percipiat.

Oleum tepidum ad compescendum tenesmum quoque laudatur, ego vero in graviore passione fere nullum inde levamen observavi, in leviore interdum; quare a tali incerto auxilio abstinere tutius mihi visum est. Casus, in quo praesertim iuvat, est talis. Interdum, sed raro tamen accidit, ut irritatio dysenterica praesertim in intestinum rectum cadat, ac superior pars crassi cum intestino tenui vel multo leviorem patiatur irritationem, vel solummodo per nervorum consensum in motum deorsum versus rapiatur. Dato opio, intestina tenuia et plenioris superior pars protinus tranquillantur, siquidem eorum irritatio vehemens non est. Sedatis vero hisce turbis, irritatio intestini recti, quae ab initio multo vehementior fuit, secundum leges mutuae partium repugnantiae necessarie praeponderat, quo fit, ut vehementissimus oriatur tenesmus, totusque morbus ad anum quasi delapsus videatur. (*) Si proinde hoc casu ex superiore parte intestini crassi stercus formatum et durum paulatim deorsum movetur, irritatio intestini recti vehementissima et fere

(*) *Sydenham* eandem observationem sequentibus verbis proponit „ iam olim diximus, quod saepenumero hic morbus, si „ diutius excurrat, intestina seriatim omnia deorsum versus afficiat, donec tandem omnis eius vis in rectum decumbat, cum „ assidua desidendi cupiditate, qua nihil praeter mucosum quid- „ dam et subcruentum excernitur. “

intolerabilis evadit. Tunc quidem praesentissimum est auxilium, oleum tepidum in ventrem ex inferiore parte indere, ut scilicet stercus lubricet, eiusque descensum promoveat. Deiectione facta, tenesmus plerumque fit multo tolerabilior. Deinde quoque opium non amplius propinare debet medicus, ut demum, si quae sit adhuc intestini superioris in motum deorsum versus nimia proclivitas, haec non ex toto deleatur, sed ei aliquod augmentum concedatur. Hac scilicet adversaria actione in superiore canalis parte, actionis nimietas in inferiore moderatur. Postea oportet tincturam opii cum cremore mixtam ano indere, ut tenesmus dupliciter, sedante scilicet iniectione et adversaria intestini canalis actione exstinguatur. (*)

De mictione difficili.

Mictus difficilis est vulgatissima dysenteriae accidentia. Oritur nervorum consensu ex intestinorum irritatione. Non solum vesica hac ratione afficitur sed ipsi renes, quod inde patet, quia lotium parca admodum quantitate ad vesicam defertur, et hanc non distendit, etsi aeger toto die non minxit. Plurimos crebra mingendi necessitas non vexat, ubi vero mingunt, magna cum difficultate exiguam urinae quantitatem ex vesica exprimunt. Medi-

(*) *Zimmermann* ad moderandum tenesmum tincturam Rhei similiaque laudat, sibique persuadet ista pharmaca everrendo acrimoniam residuam tenesmo mederi. Ex mea vero sententia laxantia mitiora, quae praesertim intestina tenuia afficiunt, facta illic irritatione adversaria, irritationem in inferiore canalis parte compescat.

camenta diuretica incassum adhibentur, et supervacua sunt, quia tranquillata intestinorum irritatione, ista passio sponte evanescit. (*) Omne vero pharmacum mictuale, quod motum intestinorum deorsum versus auget, non solum supervacuum sed detrimentosum est. Urinae in vesica retentionem raro observavi, plerumque enim imposito imo ventri malagmate aliquo calido, urina profluit. Sémel tantum gravem ischuriam in sene vidi, cuius historiam anno 1796 in discriptione luis Cliviensis narravi. In hoc viro sanata fere dysenteria, die octavo urinae retentio orta est. Chirurgus catheterem adhibuit, et magnam lotii quantitatem extraxit. Postero vero die denuo urinae retentio et quidem pertinacissima orta est. Omnibus medicamentis internis et externis frustra adhibitis, et oborta magna vesicae distentione cum summo cruciatu tantaque fistulae constrictione, ut habilis chirurgus catheteris immissionem crebrius, interpositis longioribus ac brevioribus intervallis, tentaverit; ad ipsam vesicae perforationem tanquam ad ultimum auxilium confugere constitui. Interea denuo adhuc mecum singulam circumstan-

(*) *Matthaei* de urinae difficultate inquit, „oft wenn der „Durchfall gehoben, die Schmerzen uud der Stuhlzwang gestillt „waren, blieb dieses lästige Symptom, mit den daher rührenden „Unordnungen in der Urinabsonderung, mit stufenweiser Ver„minderung noch Wochenlang zurück.“

Istuc nunquam observavi. Intestinorum turbis perfecte sanatis, urinae difficultas semper evanescit. Si vero in intestinis, tantum irritationis relinquitur, quantum minimum est, urinae secretio quoque manet impedita. An inde hydrops ex dysenteria, quem alii scriptores observasse contendunt?

tiam computans, pollinem lycopodii quem priscorum temporum medici pro egregio diuretico habuerunt, et cuius virtutes perillustris Hufeland modo in memoriam nobis reduxerat, adhibeo; parva tamen fuit fausti eventus exspectatio. Duas pollinis drachmas syrupo subactas cum unciis sex aquae misceo, et aegro singula hora unum cochlear propino. Mane hanc medecinam dederam, et post meridiem fistulae constrictio cessavit, et urina magno cum aegri levamine ingente copia profluxit. Sequentibus diebus aeger aliquoties ischuriae accessus animadvertens eadem medicina illud taedium protinus fugavit.

De intestini canalis aciditate.

Non dubito fore aliquos, qui de schola Sylvii me esse credant. Parum tamen interesse videtur, utrum in curandis morbis, clarum aliquem nostri aevi virum an superiorum sequamur; siquidem priscis quoque temporibus ingeniosi artifices inclaruere, qui naturam potissimum observantes, experientiae purae, therapeutices superstruxere dogmata; atque si in eo allucinati sunt, quod ista dogmata pro universalibus et perpetuis interdum habuerunt, vix eis id succensere convenit, quoniam nostri aevi medici, qui ipsam sapientiam profitentur, in hoc potissimum errore devios maiores religiose sequuntur.

Quotidiana experientia docet, aciditatem canalis intestni a singulari nervorum irritatione pendere. Crebro mulieres alioquin huic taedio parum obnoxiae, dum uterum gerunt, molestissimam in ventriculo persentiscunt aciditatem, quam remediis idoneis moderare et temporaliter

delere, vix autem omni adhibito auxilio eo pervenire possumus, ut ipsa ventriculi in aciditatem proclivitas exstinguatur. Nonnullae, ubi ad graviditatis medium perveniunt, sponte a tali taedio liberantur. Aliae primis graviditatis mensibus ab acido sunt immunes, elapso autem dimidio graviditatis spatio, hanc molestiam patiuntur, quae quidem ad partum usque tenet, ita, ut quanquam parturientes adhuc acidum vomant, excreto tamen foetu omnis molestia extemplo evanescat.

Novi iuvenem, qui gravem tristitiam et luctum passus, tantam aciditatem in intestinis contraxit, ut fluxus alvi pertinacissimus oriretur, qui adhibitis remediis parum idoneis in laevitatem intestinorum transiret. Tandem remediis acidum absorbentibus et roborantibus ad secundam pervenit valetudinem. Commotio quoque corporis insueta, tanquam irritamentum alienum in intestina operatur, et acido ansam praebet. Si exempli gratia aliquis curru non suspenso per viam lapidosam, vel equo duro succussaturae parum adsuetus vehitur, acidum facile in ventriculo contrahit. Omnes istae observationes vulgares lucide docent, irritatione nervorum singulari, acidum in intestinis generari. Si itaque acrimoniam acidam subinde in nostro morbo observasse contendimus, istam tamen acrimoniam pro materiali dysenteriae causa non habemus. (*) Intestinorum irritabilitas in singulis corporibus multum differt, necesse itaque est, potentiae alicuius impulsione,

(*) *Etmüller* oper. omn. p. I. pag. 143 inquit, „ causa proxima recte est succus adeo acris, corrosivus, et imprimis acidus, „ in intestina rodens, hinc abradens et denique excorians. “

in singulis alium et alium procreari effectum, neque mirandum, ipsa irritatione dysenterica, in quibusdam corporibus aciditatem vel generari vel saltem augeri. (*)

At cum istam acrimoniam pro causa dysenteriae non habeamus, oritur quaestio, utrum in curanda lue eius ratio sit habenda; quod ego quidem teneo. Uti enim acrimonia acida in sanis caeteroquin corporibus, intestina irritat, ut vel vomitus, vel tormina, vel diarrhoea oriatur: sic intestina aegrota et summe irritabilia graviorem inde noxam concipient; est enim talis acrimonia irritamentum alienum nervisque inimicum, et parum interest, utrum forinsecus sit ingestum an intrinsecus natum. Verum quidem est, acrimoniae generationem tranquillando nervorum irritationem et mutando eorum tonum posse impediri; quae vero adest acidi copia, eo non deletur. Interdum, ubi intestina adhuc firmitate aliqua pollent, eorumque irritabilitas maxima non est, praesens acidi copia, praesertim si forinsecus est ingesta, et nova eius generatio praecavetur, citra incommodum excernitur. Hoc modo curatio, nulla habita acrimoniae ratione fieri potest. Qui vero ex felici harum curationum successu temere cogit, in qualicunque casu supervacuum imo ridiculosum esse, materiam irritantem respicere, is certe allucinatur; siquidem ille ego, etsi multoties dysenteriam, nulla habita acrimoniae ratione (quanquam quaedam notae eius suspicionem darent) feciliter curavi, subinde tamen ex-

---

(*) *Hargens* (Hufelands Journal Tom. VII.) in variis aegris aciditatem primarum viarum observavit, qua praesente opium incassum adhiberi testatur.

pertus sum, in quibusdam corporibus irritationem intestinorum neque opio neque aliis sedantibus posse tranquillari, sed talia deposcere medicamina, quae chemica affinitate, acidum absorbeant. In intestinis infirmis et magna irritabilitate laborantibus, ista acrimonia, vel irritatione dysenterica creata, vel forinsecus ingesta, et dysenterica irritatione multiplicata, maiorem intestinis creat turbationem, quam ipsa initialis dysenterica irritatio; quod inde patet, quia deleto acido, irritatio intestinorum sub oculis nostris tantum minuitur, ut, quam modo opium nequidem moderare potuerit, nunc omnino tranquillet.

Acrimonia vero acida vel in ventriculo nascitur, vel in intestinis. Primum facile dignoscitur, quoniam ingesta vomitu reiecta non solum acidum resipiunt, sed tanta interdum acrimonia scatent, ut ipsos dentes obtundant. Interdum vomitus hanc acrimoniam pro suà causa agnoscit, et non nisi assumtis remediis absorbentibus sistitur. Sal lixivium vel conchae praeparatae iuvant. Prima vice plerumque reiiciuntur, deinde ventriculus ea retinet, vel saltem adiecta postea calce Bismuthi vel opio, protinus a motu irregulari desinit.

Aciditas intestinorum difficilior est cognitu et curatu. Interdum forinsecus est ingesta, quod cognoscitur ex circumstantia praeterita recordabili. Si exempli gratia aliquis cerevisiam vel vinum acidum affatim bibit, et deinde protinus in dysenteriam incidit, acidum certe in intestinis abundat. Nam in secunda valetudine talia quidem sine incommodo feruntur, si vero post potum acidum intestina a motu regulari recedunt, ingesta vel im-

perfecte, vel omnino non subiguntur, unde acrimonia aliena et intestinorum turbamentum. Interdum aegri in secunda valetudine acido fuerunt obnoxii, quod inde animadvertitur, si vina acida, quale est Rhenanum et Mosellanum, varia eis creaverunt incommoda, aestum scilicet ventriculi, vel pustulas in lingua, vel dolores ventris, vel fluorem; si poma acida non citra incommodum assumsere, demum si in secunda valetudine pharmaca acida, qualis est tartarus depuratus, vel tamarindorum fructus, minima etiam quantitate alvum eis movere. Ubi id sciscitando cognoscitur, aciditatis oritur suspicio. Praesentes vero notae sunt: dolor continuus in ventre, vel rodens, vel urens, vel pulsuosus, qui opio non moderatur sed subinde exacerbatur, pituita descendens alba vel cruenta, cum materia coloris herbacei contorta. Hoc proinde casu sal lixivium (kali vel natrum carbonicum) praesentissimum est remedium. Parum tamen iuvat huiusce salis grana aliquot dare, curationis potius cardo est, praesentem acidi copiam brevissimo subigere spatio, quod vero fieri nequit, nisi salis lixivii ingesta quantitas acidum quodammodo aequet. Plerumque intra diem noctemque unciam dimidiam, vel urgente necessitate integram aqua solutam propino. Sub initio dysenteriae Cliviensis anni 1796 experienta id me docuit. Ad puellam nempe vocor, quae magnam acidi copiam in intestinis fovet. Torminibus violentis vexatur, deiectiones sunt mucosae coloris herbacei, et opium ad leniendos dolores nequicquam propino. Ecce! ego omnia mecum computans, ex deiectione viridi, ex torminibus ipso opio non sedatis sed exasperatis, temere iudico, dysenteriam esse biliosam, et tutum mihi videtur

materiam biliosam tartaro depurato evacuare, in qua curatione Zimmermannum potissimum secutus sum. Sed quae mala crux me agitaverat equitem sequi? — Medicina vix ad intestina delata, tanta et tam violenta incendit tormina, ut aegra protinus opem meam efflagitet. Ego accepta obnunciatione, extemplo ad eam advolo, quiritantem, pandantem ac volutantem invenio, et quid mihi in his angustiis faciendum dubius haereo. Incidit interea in memoriam, quantum priscorum aliqui circa aciditatem intestinorum fabulati sint, quantique pulveres suos absorbentes habuerint. Unciam proinde unam Natri Carbonici aqua soluti per intervalla propino, ita ut integra portio intra diem noctemque consumatur. Neque me poenituit consilii, tormina enim brevi a vehementia remisere, et consumta secunda Natri uncia, deiectiones fuere stercorosae flavae, et tormina fere nulla. Morbus hac ratione domitus, facile deinde opio paruit. Eadem lue hanc observationem casus aliqui obfirmaverunt. Sequentibus vero morbis popularibus quibus interfui, dysenteriam curiosius examinando comperui, acidum non solum primo morbi stadio vehementes incendere dolores, sed in secundo quoque, descendente stercore liquido, magnum perfectae sanationis esse obstaculum.

Quandoque dato opio, constrictio intestini crassi post aliquot dies remittit, et neque mucus neque cruor amplius descendunt, sed stercus tenerrimum. Continuata vero opii adhibitio, ad minuendum deiectionum numerum nihil proficit. Hoc casu subinde acrimonia acida, intestina ad motum deorsum versus stimulat. Cognoscitur ex

sensu urente vel rodente in ventre: interdum aegri acidum ructant, vel stercus est coloris viridis et cinerei, coloribus tamen his non inter se diductis sed mixtis. Interdum, sed raro stercus cinereum descendere vidi. Hoc quidem stadio sal lixivium acidum delet, timendum tamen, ne sal aliquod medium mutua affinitate productum, denuo alvum moveat; aptius saltem est, aliam eligere substantiam, quae mutua affinitate acido iuncta, vi alvum purgante omnino careat. Conchas proinde praeparatas aegris optimo cum successu dedi, et hac ratione pertinacissimos alvi fluores sanavi. (*)

(*) *Pringle* absorbentia propter qualitatem septicam reiicit (observations on the Diseases of the Army Lond. 1753 pag. 241) hunc librum secundum novissimam editionem in Germ. linguam Anno 1772 translatum legens video Pringel cretam in aciditate ventriculi dedisse.

Lindemann (über die Ruhr und deren Heilart ein Fragment) inquit p. 39, „Pringels seine Kranke würden sich nicht so sehr „über Säure beklagt haben, wenn er ihnen eine gewürzhafte „leicht verfauliche animalische Diät in Verbindung der Rinde „und des mässigen Gebrauchs eines guten Weins erlaubt hätte.„ — Istuc facile est dictu, utrum autem verum sit, nescio.

In archivo medico, quod edit excellentissimus *Horn*, epitomen inveni singularis tractatus, cui titulus; expériences nouvelles sur les propriétés de l'Alcali volatil fluor. par Mr. Martinet curé de Soulaines près Bar-sur-Aube, à Paris 1780. Auctor dysenteriam alcali volatili sanatam esse refert. Credit nempe, acrimoniam acidam huiusce morbi fuisse causam. — Quantitas profecto acrimoniae oportet magna non fuerit, quia duodecim vel quindecim tantum guttae ad eam subigendam requirebantur. Istae observationes mihi fabulosae videntur

Kali nostris diebus in affectibus spasticis praesentissimum auxilium praestitisse relatum legimus, et experimenta Galvanica nos docuerunt, istam materiam singulari virtute ipsum solidum vivum afficere; quapropter dubium mihi visum est, utrum in istis casibus, ubi ope kali vel Natri vehementes intestinorum turbas sedaveram, ista pharmaca delendo acidum, an directe sedando nervos auxilium attulissent. (*) Postquam autem comperui, conchas praeparatas eundem praestare effectum, primum accipere non dubitavi. Praeterea si kali vel Natrum sedando nervos auxilium attulisset; in omnibus, vel saltem in quamplurimis casibus, eundem laudatum effectum praestare deberet. Non semel vero, sed multoties in dysenteria ad componendas intestinorum turbas ex acido non profectas incassum adhibui, et persuasissimum proinde mihi est, istam substantiam delendo potissimum acrimoniam acidam irritationi intestinorum moderari.

De conchis praeparatis ultima adhuc lue praesentissimum observavi auxilium. Memini inter alios viri, qui tertia die neque mucum neque cruorem amplius, sed stercus tenerrimum deiiceret. Deiectionum vero torminosarum numerum deinde non minuere potui, quanquam opium larga satis quantitate ei propinabam. Singula mecum computans, acrimoniam irritantem in intestinis suspicatus sum, et concharum praeparatarum unciam inte-

---

(*) In aliis intestinorum spasmis (non vero in dysenteria) neque opio immixto neque sali lixivio soli cedentibus; ex his remediis alternatim adhibitis maximam observasse utilitatem recordor. In his vero casibus acidum non erat inculpandum.

gram intra diem noctemque dedi. Eventus fuit optatissimus; altero enim die aegrum accedens audivi, alvi profluvium cessavisse; tertio stercus spissum deiecit.

At medicis satis notum est, neque sal lixivium, neque terras calcarias aliaque obsorbentia, ad exstinguendam aciditatem ubique sufficere; siquidem interdum in ipso canale intestino, vix obturanda acidi videtur esse scaturigo. (*) Asa foetida cum extractis amaris mixta, ad exstinguendam aciditatem laudatur, et non immerito quidem; subinde enim illis, qui ab infantia inde huic taedio fuerant obnoxii, maximum reminiscor attulisse levamen. Hac proinde experientia commotus, asam foetidam in dysenteria ad exstinguendum acidum et ad comprimendum ventrem dedi, primo quidem extractis amaris maritatam, quia credidi, ab hac coniugatione laudatum effectum quodammodo pendere, deinde vero catapotia ex pura asa foetida cum opio mixta, meliore abhuc cum effectu dedi; extracta enim amara, secundo dysenteriae statio, minima etiam quantitate intestina irritabilia turbant. Hac ratione ultima lue matronam sanavi, quae pertinacissimo alvi profluvio omnes artes eludente laborabat.

Non diffiteor tamen, signa aciditatis imi ventris interdum esse incerta. Vulgaris experientia id abunde docet.

(*) De aciditate intestinorum legi meretur *Perill. Richteri* liber (vermischte med. und chirurgische Beobachtungen pag. 174) et alius adhuc memorabilis tractatus in *Journal der Theorien, Erfindungen und Widersprüche etc. X St. pag.* 20.

Sunt, qui acido et alvi fluori una obnoxii, illud taedium medicamentis, magis vero apta diaeta ita domuerint, ut nullum inde incommodum percipiant. Hi, si supra consuetudinem cerevisiam vel vinum acidum aliquot dies affatim bibunt, aciditatem denuo contrahunt, sed unicum incommodum, quod ex hoc taedio eis accidit, est alvi profluvium. Neque inflatio et tormina eos infestant, neque acidum ructant, neque ventriculi aestum lamentantur, neque excrementorum color est mutatus.

Cum vero in his corporibus ipse alvi fluor unicum sit aciditatis signum; qua ratione talem acrimoniam cognoscere possumus, si irritatio dysenterica intestinum turbat? Adest equidem alvi profluvium, sed id omnibus aegris commune est. Ex acrimonia acida profluvium augeri, in universum scimus; sed etiamsi in obvio aliquo casu vehementissimum est, notae tamen desunt, ex quibus colligere possumus, an irritamentum dysentericum suapte natura, an acrimonia acida profluvium ad talem vehementiam perduxerit. Tali casu, ubi fere omni certo destituti sumus, tutius videtur incertum adhibere auxilium quam omnino nullum. Subinde praeteritae vitae circumstantia quaedam recordabilis, acrimoniae acidae suspicionem praebet, subinde tantum ipsius fluoris pertinacia.

Medicamenta interea, quae contra acidum dantur, etsi nihil proficiant, saltem non nocent; quapropter tali casu consultius est, angustam scrupulositatem abiicere, et conchas vel asam propinare. Ego saltem interdum empiricen brutam secutus aegros sanavi, quos rationali methodo sanare non potui, neque sacrilegium mihi vedetur in istis

casibus, ubi notae evidentes aliaeque circumstantiae certum auxilium non indicant, incertum adhibere, quod subinde profuit, et nunquam nocuit. In universum me iudice medici rationalitas potissimum in eo est, ut perspectum habeat, artem quam profiteatur esse mere empiricam et proinde truncam; ad hanc vero perspicientiam non nisi assiduum artis medicae studium artificem perducit.

CAP. VI.

De medicamentis quibusdam singulatim.

VOMITORIA.

Vomitoria me iudice triplicem in dysenteria effectum habere possunt,

I. Ventriculum repurgant,

II. Ciendo in canale intestino motum deiectioni adversarium, spasmos et constrictiones intestini latioris moderant, et quandoque sanant. De duplici hoc effectu idoniore loco locuti sumus.

III. Spasmos et constrictiones vasorum cutis reserant, exhalationem proinde et sudorem promovent. Sunt, qui hunc vomitorii effectum magni faciant, et eapropter in nostro morbo adhiberi velint (*). Non ab re fore exis-

---

(*) *Hufeland* vomitoria ad promovendam cutis exhalationem et ad sedandos spasmos bono successu adhibuisse testatur. Ad eundem scopum ea laudat *Richter*. Ambo tamen, quantum ego eos intelligo, describendo morbos populares quibus ipsi interfuere, perpetua praecepta condere noluerunt.

timo hanc opinionem paulo curiosius ventilare. Vomitorium duplici modo cutis exhalationem sudoremque promovet.

Primo quidem sub ipso vomendi nixu, universum corpus vehementer exagitur, et magna pars musculorum in impetum rapiuntur. Hac proinde ratione vomitus eundem ſere effectum habet, ac quaevis alia vehemens corporis exercitatio. Sanguis enim cum impetu peripheriam corporis versus propellitur, quod ipse adspectus docet, siquidem minimae faciei venae sanguinae turgent. Sudor, qui hoc modo elicitur, a vehemente corporis actione pendet. Perpetuitatem habere nequit, quippe qui composito illo impetu evanescat, non secus ac in sanis corporibus ex vehemente exercitatione desudantibus, sudor post quietem aliquam sponte desinit.

Alterà ratio qua vomitus sudorem promovet, talis fere est. Omnis vehemens solidi vivi actio debilitatem post se relinquit, solidumque quasi detendit. Hoc pacto, vasa cutis relaxata, laticem ex suis orificiis facilius transmittunt. Vulgaris experientia id abunde testatur; non enim vomitus solum, sed etiam venae sectio aliaque auxilia, quae corpus infirmant, sudorem promovent. In morbis longis propter debilitatem sudores profusi erumpunt, qui etiam post acutos haud raro aegrum infestant, et peculiarem deposcunt medelam.

Arctissimum autem ventriculo est commercium cum universa corporis compage, et debilitatem, quae illi accidit, haec protinus persentiscit. Differt tamen, an

aegrotus constitutione firma, an infirma gaudeat, siquidem infirmus post vomitum in maximam debilitatem incidit, quae diuturnitatem notabilem habet, firmus contra brevi vires quodammodo recuperat, qua propter hic illo difficilius ex vomitu desudat. Porro quoque interest aliquid, utrum cutis sit laxa vel stricta; quippe laxa, oborta universi corporis debilitate, ad sudorem extemplo est proclivis, cum contra stricta, infirmato etiam corpore sudorem non transmittit. Quod manifestum est in illis, qui phthisiscunt; horum nempe plurimi ab initio inde vehementer sudant, aliquos vero non nisi ultimo morbi stadio, rebus omnino desperatis illud taedium infestat.

His positis, facilius est iudicatu, utrum vomitoria ad curandam dysenteriam conducant nec ne.

Vomitus, quatenus vehementem corporis impetum suscitat, et sudorem proinde extorquet, utilis esse nequit, quippe talis sudor diuturnitatem non habet; quod manifestius est, quam ut longa argumentatione evincendum sit. Quatenus vero debilitatem inducit vomitio et proinde cutis relaxationem, eatenus utilitatem habere potest.

Praecipuum dysenteriae momentum est irritatio intestinorum, et totius curationis cardo irritationis moderatio. Cap. IV. explanavi, quatenus vomitorium irritationem dysentericam leviorem, quae praecipue in intestinum crassum cadat, moderare possit. Hoc itaque casu vomitoria etiam ad relaxandam cutem et ad promovendam exhalationem commode adhibentur. Neque me iudice illi al-

lucinati sunt, qui vomitoria magnis extollunt laudibus, quatenus id tantum litteris mandarunt, quod experientia eos circa luis curationem docuit.

Si vero irritatio dysenterica altius intestinis inhaeret, et tenue etiam afficit, tunc anceps omnino est auxilium vomitoriis cutis exhalationem moliri. Irritatio enim vomitoriis sursum et deorsum operantibus augetur, et si sudor etiam erumpit, morbus tamen nondum est superatus, moriuntur enim, quibus sudor copiosus profluit. Post vomitum cum multo vehementiore intestinorum irritatione nobis faciendum est, quam deinde opio impugnare debemus; imo dubium est, an aucta illa irritatio componi possit. Si sudatio certum auxilium, et aegrotus sudans semper in vado esset, tunc prudentis foret medici, ad illud protinus confugere. Cum vero anceps sit auxilium, quod fortasse cum mediocri effectu, fortasse cum morbi exacerbatione, imo cum vitae dispendio periclitatur, tutius est ab illo abstinere.

An vero opium ad relaxandam cutem, spasmos sedandos, sudoremque eliciendum minus potens sit quam vomitorium? — Papae! qui id contendere et experimentis probare vellet, durum susciperet opus. Corpora debilia, quorum cutis praesertim laxa, facile post vomitum desudant, sed his perinde ex opio cutis madet. Corpora contra vasta firmaque difficilius eliciendo vomitum sudare coguntur, quippe quae post vomitionis impetum in universalem debilitatem non incidant. Tandem corpora debilia, quibus cutis stricta et talis in secunda quoque va-

letudine fuit, ex vomitu maxime debilitati ne quidem desudant.

Plerumque etiam violenta intestinorum irritatio sudorem impedit; quae violentia tamen non ex crebra deiectione, vel ex vehemente dolore solum, sed ex ipsa pertinacia motus deorsum versus cognoscitur. Ad promovendam propterea exhalationem impendio magis necesse est, irritationem intestinorum opio moderare quam vomitoriis augere.

Ubi in corpore vasto firmoque, vehemens intestini irritatio exhalationem impedit, tutius omnino videtur, venam secare, et dein opium propinare, quam vomitum elicere; siquidem venae sectio, internas turbas potius moderat, quam auget, et una cutem relaxando exhalationem promovet.

Corpora vero debilia, quorum cutis stricta, ubi vehemens intestini tenuis irritatio ea infestat, perperam vomitoriis sudare coguntur. Artifex enim ad hunc scopum collimans, una vomitione parum proficit, repetita vero, irritationem intestini multum auget, viresque convellit, ut tandem in mortis articulo sudor erumpat. Quapropter consultius videtur, tales aegros in solium immittere, opium eis dare, aliaque auxilia adhibere, quae capite quarto proposui.

Tandem vomitorium in graviore dysenteria, quae totum fere intestinum canalem afficit, non solum morbum exasperare, sed omnino insanabilem reddere potest, perducendo scilicet ventriculum ad tantam irritationem, ut,

qui modo nervorum consensu ingesta reiecerat, nunc ipsa locali affectione ea reiiciat, et nequidem opium aliaque sedantia retineat; quae quidem passio periculosissima esse consuevit.

In universum proinde vomitoria omni casu, quo irritationem intestinorum vel everrendo materiam acrem, vel ciendo actionem adversariam moderant, ad sedandos quoque spasmos et ad relaxandam cutem commode adhibentur. Ubi vero vehementiorem irritationem intestini augent, nihil boni de illis sperandum esse puto.

Atque haec sententia moderata satis, a vero parum abludere videtur. In dysenteria Cliviensi expertissimus Focke, collega meus, primo vomitoria adhibuit, non, quod mihi dixit, ad everrendam materiam acrem et nocivam, sed ad sedandos spasmos cutisque exhalationem promovendam; in qua curatione alios et quidem non mediocres in arte scriptores secutus est. Mox tamen abstinuit a tali auxilio, siquidem effectum potius irritantem quam sedantem inde observavit.

Medicamenta alvum purgantia.

Non dubito fore plerosque, qui me contra medicamenta purgantia medicosque ea maximis extollentes laudibus declamaturum credant. Hi tamen toto coelo errant; nam ad inveniendam veritatem aliquam, praestat sicca disputatione quam declamatione uti. De purgantium utilitate, quatenus morbi fomitem everrunt, nihil proponam, nam haec materia a scriptorum cohorte toties recocta ad ulteriorem ruminationem nos adlicere nequit. Aptius

videtur disquirere, utrum medicamenta alvum purgantia, in istis etiam casibus, ubi neque bilis, neque aliae sordes in intestino canale prostent, cum aliqua utilitate adhiberi possint.

In canale intestino, perinde ac in aliis corporis partibus, mutua observatur repugnantia. Fibrae nimirum circulares in inferiore intestino recto, repugnant fibris intestini tenuis, et crassi superioris partis; ita ut in secunda valetudine fibrarum circularium intestini recti actio praeponderet. Nisi enim canalis ita instructus esset, multoties saltem die desidere cogeremur.

Stercoris descensus ita peragitur, ut in intestino tenui et in pleniore superiore, motus deorsum versus augeatur; quod quidem fit ipsius stercoris irritamento et ex parte ipsius voluntatis. Intestinum tenue sub hoc excernendi actu deorsum moveri, sensus in medio abdomine stercoris descensum antecedens accipere suadet. Auctus itaque stimulus in intestino superiore, auctam procreat actionem; hoc pacto ista aucta actio, actionem fibrarum orbicularium intestini recti vincit, et stercori proinde via patet.

Demus itaque, irritationem dysentericam praesertim intestinum rectum afficere, et tenue esse immune; nonne remedia purgantia intestinum tenue irritando, eius actionem augere, et hac ratione adversario irritamento actionem intestini recti exorbitantem ita compescere debent, ut stercus descendere queat? (*) — Sed recurret, dicis,

---

(*) Medicamenta purgantia mitiora praesertim intestina tenuia afficere, sana ratio accipere suadet. Ad intestina crassa enim

intestini recti irritatio post peractam purgantis operationem. — Bene mones, recurret quidem; sed nonne scriptores suadent, crebrius purgantia dare? Quidnam sibi volunt cum hac cautela? — Eo efficere volunt, ut irritatio adversaria aliquod spatium teneat. — Sed cum perpetuo purgantia propinare nequeas, recurret tamen demum intestini recti irritatio et constrictio. — Respondeo: non recurret, siquidem ad moderandam actionem exorbitantem in organo aliquo, sufficit plerumque actionem exorbitantem ope irritamenti adversarii ad naturae normam reducere, et ope eiusdem irritamenti in ista mediocritate retinere; organum enim istud hac ratione a morbosa actionis nimietate desuescit. Si vero irritamentum adversarium non satis diu adhibetur, pars affecta ad eandem actionis nimietatem relabitur, et haec est causa, quod scriptores purgantia crebrius adhiberi volunt. Si vero quis obiiciat: reserata intestini recti constrictione et descendente stercore, morbus nondum est victus, imo intestinum tenue, purgante medicina vehementer est irritatum; nonne proinde alvi profluvium stercorosum, aegrum necabit, moriunturne plurimi, postquam intestini recti ve-

---

non nisi multis humoribus diluta mucoque involuta perveniunt, ut intestinum crassum vix irritare queant. Illi, qui talia sumserunt, nullam prorsus desidendi cupiditatem sentiunt, nisi quae humorum descendentium pondere procreatur. *T. Willis* in pharmacopaea rationali hanc observationem testatur. Rosae, violae, inquit, cassia, manna aliaque similia, quae sunt partium subtilium et valde tenuium, plerumque ventriculum minime perturbant, et pyloro superato duodeni tunicam nerveam exquisitius sensibilem irritare incipiunt, et priusquam ulterius pergant, vim suam fere totam illic impendunt.

hementissima irritatio remisit, et stercus tenue sine cruore descendit? — Repono; ubi irritatio dysenterica intestinum tenue non infestavit, id consensu tantum nervorum in motus raptum, integrum habetor, et irritatio quae ex medicamento purgante ei accidit, diuturnitatem notabilem non habet, sed vel sponte, vel datis quibusdam pharmacis lene adstringentibus vel aromaticis evanescit, quemadmodum scriptores id docent, et in corporibus caeteroquin sanis quotidie id observamus.

Hoc proinde pacto explicabile est, qua ratione dysenteria purgantibus pharmacis sanari et in sui initio supprimi possit, imo memini, me olim talem curationem aliquoties optimo cum successu adhibere. Tum quidem, me everrendo materiem nocivam morbum suffocasse persuasus fui, donec ulterior experientia meliora me docuit. (*) Quid vero accidet, si in graviore morbo pur-

(*) Antagonista illorum, qui dysenteriam biliosam statuunt, talem facere posset oppositionem. Si dysenteria adest cum intestini recti constrictione et excrementorum retentione, quemadmodum id esse solet; bilis acris, huiusce dysenteriae causa esse nequit. Argumenta talia fere sunto. Est mutua repugnantia inter intestinum rectum et universum canalem intestinum. Cum proinde irritatio in intestino tenui est aucta, actio intestini recti praeponderare nequit. Ultimum probo ex ipsissimo effectu medicamentorum purgantium in dysenteria, quae irritando intestinum tenue constrictionem intestini recti vincunt, ita ut faeces descendere queant. Quisquis id negat, simul omnem purgantium utilitatem in hoc morbo negat. Cum vero irritamentum leve, qualis est uncia una vel altera pulpae tamarindorum, intestinum tenue afficiens constrictionem recti vincere descensumque stercoris promovere queat; palam est, bilem acrem corrosivam (si talis subesset) prope suam scaturiginem intestinum tenue potissimum afficiendo,

gantia propinentur? Irritamentum dysentericum, tunc quidem ipsum intestinum tenue vehementer afficit, et in motum deorsum versus rapit. Purgantia necessario hanc irritationem augent, morbumque exasperant. Esto, hoc casu medicamenta purgantia irritamento adversario constrictionem inferioris intestini vincere; tantum vero adhuc abest, ut morbus sit victus, ut nequidem in melius sit mutatus. Intestinum enim tenue, purgante medicina ad vehementem actionem perductum, effrenate humores profundit, et aeger exstinguitur. — Quin! propinemus ei opium, alvumque comprimamus festinanter. — Audio! sed istuccine erit arduum? Opium dabimus larga quavis quantitate, an vero alvi profluvium moderaturum, aegrique vitam servaturum sit nescio, concussis saltem in fritillo talis facilius divinabo qualis futurus sit iactus. Opium

---

irritamento adversario multo vehementiore intestini recti constrictionem vincere debere. Qui id negat, vel statuere poterit, bilem acrem validum quidem esse irritamentum, vi tamen intestina ad motum deorsum versus stimulandi carere. Istuc autem absurdum est, quoniam in intestino canali motus observatur deorsum versus vehementissimus. Iterum dici poterit: bilem multo minore vi intestina ad motum deorsum versus stimulante pollere, ac uncia una vel altera pulpae tamarindorum. Istuc aeque absurdum est, siquidem talis biliosa acrimonia, tam nociva et acris esse nequit, quam nobis aliqui persuadere voluerunt. His perpensis alvi quidem fluorem ex acri bile ortum mihi fingere possum, non vero alvi fluorem cum intestini recti constrictione sordiumque retentione, qualem ego observavi, et ab aliis observatum legi. — Ecce talia argumenta adversarius illis opponere potest, qui dysenteriam ex acri bile ortam descripserunt. — Non dubito unumquemque hanc oppositionem refutare posse, quare mea cogitata addere supervacuum erit.

profecto non est Deus ex machina, cuius ope portenta patrabimus. Praesentissimum est auxilium, si tempori adhibetur, si vero intestinum tenue dysenterica irritatione affectum, purgante medicina adhuc vehementer proritatur, tunc, si vires corporis sunt mediocres tantum, in malo plerumque res est; siquidem irritatio dysenterica suapte natura satis pertinax, in quibusdam corporibus vix compescenda est, quid sperandum, si contraria medicina adhuc exasperatur? Nisi corpus impendio vi vitali pollet, mors plerumque erit in propinquo. (*)

Quid? an ergo illi allucinati sunt, qui purgantia in dysenteria non solum supervacua sed maxime detrimentosa deprehenderunt? Istuc qui annuit, hospes est in arte medica; omnibus enim momentis rite perpensis, probabile videtur, graviorem intestinorum irritationem purgantibus exasperari, leviorem sanari.

Ut colophonem huic disputationi addam, dirimenda erit quaestio: utrum in leviore aliquo casu tutius sit purgantibus et vomitoriis uti quam opio? Primo quidem monendum, notas, ex quibus sub ipso dysenteriae initio iudicari possit, an in corpore aliquo gravis, an levior sit futura, admodum esse incertas. Ipsius morbi popularis natura (modo eam perspectam habeamus) multam obscu-

---

(*) *Friedericus Hoffmannus*, qui opii non est amicus, caeteroquin egregius observator, inquit: »Quamvis blanda laxantia et »alvum lenientia in dysenterico fluxu egregium levamen ferre deprehendantur, cautissime tamen cum iis mercari oportet.«

Illis, quae modo dixi, probe perpensis haec Hoffmanni praemonitio intelligetur.

rae rei affundit lucem. Demus, dysenteriam in universum esse perniciosam. Libenter concedo, morbum istum popularem, omnia corpora non aequali furore, imo aliqua leviter tantum infestare; sed qui curationem auspicaturus explorare poteris, utrum morbus levis sit futurus an gravis? Tormina, tenesmus, sanguinis descensus, notae sunt incertae, quippe quae subinde vehementissimae sint, ubi intestini crassi inferior tantummodo portio, et mitiores, ubi intestinum tenue praesertim aegrotet. Atque neque id perpetuum est, nam toto intestino canale affecto, passiones istae perinde sunt vehementes. Irritationis pertinacia et diuturnitas, morbi vehementiam et perniciosum morem praesertim designat, quemadmodum Cap. IV. id explanavi.

Vix ergo artifex aegrum accedens protinus iudicare poterit, utrum morbus levis sit futurus an gravis. Quisquis proinde temere iudicium fert, notas incertas sequitur, et incerta erit curatio. Purgantia dabit in hisce casibus, qui sibi leves videntur, et subinde faustus erit morbi exitus, multoties vero funestus; non pauci saltem in Libitinae rationem venient, qui servari potuissent.

An vero in leviori casu opium non iuvet? Utique iuvat, et quidem in leviori casu facilius quam in graviore. Sed nonne vesanum prorsus est consilium, quando in universum perspecta morbi popularis natura, iuxta verisimilitudinis leges, in unoquoque corpore aegroto pertinaciam potius quam levitatem noxae suspicari suadet, in singulis vero corporibus certae notae vix observantur, ex quibus contrarium, noxae scilicet levitatem, cum

quadam certitudine coniectare possumus; nonne vesanum, inquam, est consilium, anceps quandoque adhibere auxilium, cum tutum in promtu habemus? Mihi saltem ita videtur, et proinde caute abstinui ab omni purgante medicina. At si ex perspecta morbi popularis natura patet, luem in universum esse leviorem, et intestinum crassum tantummodo affectum, si proinde in obvio aliquo casu, sana ratio suadet, eandem morbi levitatem coniectare: Quid? An tunc quoque absonum sit purgantia opio antehabere? Equidem credo, opium in tali morbo populari perinde omnem absolvere numerum; nihilo tamen minus teneo, illos qui purgante medicina curationem vel auspicati sint, vel absolverint, iure plecti non posse. Quoniam enim ambo auxilia conducunt, quisque istud eligat, cuius adhibitionem et cautelas usus et exercitatio eum docuit, nam suetis armis audacior incurret hostem quam insuetis. (*)

(*) Varias ego curationes vidi praesertim Cliviae. Ibi in una eademque lue alter evacuantia sola adhibuit, alter opiata sola, tertius ambo auxilia coniunxit. Omnes eadem fortuna non esse usos, ab omnibus tamen complures aegros ad sanitatem esse perductos probe scio. Plurimi, qui suam rationem curandi describunt, lectori persuadere volunt, oppositam rationem fuisse utique internecinam; istuc tamen absurdum est. Ego potius pugnantium curationum felicem eventum observans semper putavi, istuc in certis et perpetuis naturae legibus esse situm, quas proinde leges investigare pro virili adnixus sum. Dixerit aliquis: in lue Cliviensi dysenteriam nunc cum virium vigore, nunc cum languore fuisse iunctam, vel in aliis corporibus rheumaticam, in aliis biliosam, felicemque eventum oppositarum et pugnantium curationum inde esse deducendum. Talis explicatio mihi duntaxat

Opium.

Nullum fere est medicamentum, quod tantas disputationes tantasque moverit rixas, atque opium. Gnarum est medicis, duas potissimum circa eius operandi rationem esse opiniones. Sunt, qui dicant, hocce pharmacum potentissimum solidi vivi esse incitamentum; alii contra pro potentia debilitante habent. Ambo tamen conveniunt, vim vitalem eo infirmari; discrepant tantum in eo, quod illi debilitatem, quam sub oculis nostris incidere observamus, pro indirecta, hi pro directa habent. Alibi fusius explanavi, nusquam certa et inconcussa esse principia, quibus disputatio superstrui possit, recentiorum proinde vitilitigatorum argumentationes, omni continuitate carere. Modo tenemus, opium directe vim vitalem debilitare. Pro hypothesi tamen istuc ipsi habemus, neque simultates cum illis exercebimus, qui contrarium tenent. Necesse tantum videtur, quoddam punctum indicare, unde ordiatur disputatio. Absit proinde a nobis, hypothesin argutiis tueri, cum instituti nostri ratio postulet, talia tantum lectori proponere, quae ad cliniceen faciant.

Primo dirimenda erit questio: utrum opium curationis ergo datum, aegrum possit necare. Ista quaestio supervacua non videtur, quia non defuerunt scrupulosi artifices, imo scriptores, qui propter illud dubium ab opio abhorruerint.

---

admodum coacta videtur; cui vero probabilis videatur, eam accipiat, meamque reiiciat.

Omne animal vi vitali pollere, in singulis vero speciebus virium fontem multum differe credimus, quippe qui in quibusdam fere inexhaustus, in aliis languidus offenditur. (*) Homo vero omnia animalia vi vitali antecellit, quod inde patet, quia corpus suum tot potestatibus nocentibus resistit, quibus alia fere succumbunt. Illi nimirum neque torrida zona neque polus glacialis infestus; vasta emetitur aequora, et Acroceraunios montes iuxta ac abscondita terrae barathra perscrutatur inuitus. Quot aerumnae, quot labores, quot aspera in hominem cadunt, quae tamen non solum exantlat, sed superstes etiam et sospes eluctatur, Uti vero istud in universum genus humanum competit, ita in singulis humanis corporibus magna diversitas observatur. Sunt, quibus natura novercalis parciter satis vim vitalem adpendit; hi optima sanitate fruuntur, dum suetum vitae genus sequuntur, potentiaeque nocentes forinsecus non irrumpunt. At si secus cadit, maxime periclitantur; siquidem, etsi viriati satis vi-

---

(*) In sequente disputatione subinde de vis vitalis fonte loquor, necesse erit explicare, qualem haec locutio habeat significationem. Est nimirum tropus idem designans, quod Germani *Vermögen* vocant, ego facultatem dixerim. Libellum possideo, cui titulus: *Versuch einer Critik der wichtigsten physiologischen Grundbegriffe von Dr. J. H. Varnhagen.* Ibi auctor facultatem a vi distinguit; illam esse inquit causam possibilitatis mutationum, hanc causam realitatis. Nemo mihi succensebit, quod in hac disputatione communis intelligentiae causa tropica potius quam philosophica locutione utor. Germani quandoque dicunt: *ein reicher Fonds von Kraft.* Perinde est dictio tropica, et quidem bona; gallicum enim vocabulum *Fonds* significat sortem, et uti sors a foenore differt, ita facultas vitalis a vi vitali.

deantur, ipse tamen virium languidus fons a parcipromа natura eis insitus, praepropere defluit. Deinde quoque naturae constitutum est, ut in ipsa senectute uberrimus virium fons languescat, quapropter corpora senilia, caeteroquin satis alacria, potentiis nocentibus parum resistunt. Aliis quidem serius, aliis ocius infirmitas accidit, omnibus tamen instat irreparabile damnum.

Uti vero corpora respectu virium differunt, ita partes corporis singulae, respectu irritabilitatis in singulis corporibus discrepant. Aliis exempli gratia pulmo praesertim est irritabilis, aliis intestinus canalis, aliis renes vel urinae fistula. In omnibus morbis nosse conducit, qualis pars nimia irritabilitate laboret: in dysenteria vero praesertim ad id animum advertere iuvat; utpote cum maior vel minor intestini canalis irritabilitas, aliam et aliam deposcat curationem. Modo de irritabilitate loquimur, quae intestino canali uniuscuiusque corporis peculiaris esse solet, et quae vel innata vel contracta, in singulis corporibus citra morbum vel maior vel minor esse consuevit.

Nimietas huiusce irritabilitatis duplex est. Vel admoto levi quodam incitamento, intestina in motus irregulares rapiuntur, certus tamen horum motuum non est tenor; siquidem hic illic passim stringuntur intestina, distenduntur, sursum deorsumve moventur, unde dolor, vel incommodi sensus, vel ructus, vel alia taedia. In aliis corporibus irritabilitatis nimietas aliter se exserit. Admoto enim levi quodam incitabulo, intestina in motum deorsum versus rapiuntur. Haec irritabilitas, magni est momenti in curanda dysenteria, atque in sequente pro-

inde disputatione irritabilitatis vocabulum hanc vim principaliter habeto.

Utrum itaque aliquis opio curationis ergo dato necari, an sanari possit, a relatione potissimum pendet, quae inter vis vitalis fontem, atque intestini canalis irritabilitatem intercedit. Relationes fere tales esse possunt:

I. Virium fons est inexhaustus, et irritabilitatis naturalis nimietas in intestinis nulla.

Si in tale corpus irritamentum dysentericum cadit, curatio est perquam facilis; quoniam intestinum a natura parum irritabile, et alieno solum irritamento turbatum, medicinae facile paret, et a motu deorsum versus absistit. Opium hoc casu forma liquida interpositis intervallis propinatum, motum deorsum versus brevi cohibet, et continuata sui usurpatio, motum contrarium in canale ciet, qualiter id capite V. explanavi. Tunc quidem omnia ingesta protinus reiiciuntur, et uti curatio facilis est, sic interemtio impossibilis.

II. Virium fons est inexhaustus, et irritabilitas intestini magna.

Haecce ratio non perinde facilem admittit curationem, quia ad comprimendam alvum longius requiritur tempus. Cum vero tale corpus vi vitali satis magna polleat, opium magna etiam quantitate adhiberi potest, neque timendum ne perimatur aeger. Hoc saltem casu anxia cunctatio plures peremit quam audacia.

III. Virium fons est languidus, et irritabilitatis nimietas in intestino nulla.

Talia corpora perinde opio feliciter curantur. Etsi enim languidus virium fons opium dissuadet, nihilominus, quia irritabilitatis nimietas in intestino nulla est, parvis opii quantitatibus alvum comprimere possumus. Ista proinde corpora quae largas opii quantitates non ferunt, eis quoque non egent; quapropter non solum feliciter, sed brevi subinde tempore pristinae restituuntur valetudini.

IV. Virium fons est languidus, et irritabilitatis naturalis nimietas in intestino magna.

Talia corpora curatu sunt difficillima, praesertim si irritamentum dysentericum vehementius in ea cadit. Motus enim oritur deorsum versus pertinacissimus vix moderandus. Haec irritatio, in intestino, naturali irritabilitate nimia laborante, largam et audacem opii adhibitionem suadet; languidus vero virium fons omnino dissuadet. Ecce casum! quo curationem opio moliri, non solum difficile est, sed etiam periculosum. (*)

(*) *Van Geuns* in suo libro de dysenteria pag. 30. varia loca scriptorum opium maximis extollentium laudibus allegat, et deinde interrogat: »Is het niet wonder, dat na zoo veele getuige-»nissen ten voordeele, het gezag van Degner, Pringle, Zimmer-»mann, en vooral van Tissot alles schynt te overstemmen, om »by na altoos de ontlast-methode te dryven? « — Ego istuc non miror, siquidem opium quandoque nocet, et medici propter nocivum hunc effectum in quibusdam corporibus observatum, id (cuius adhibitio maiorem quoque curam et diligentiam deposcit quam medicamentorum evacuantium) utique damnare non dubita-

Deinde quoque observanda et cum modo dictis comparanda est, irritationis dysentericae diuturnitas sive extentio, quam non nisi ex perspecta morbi popularis natura coniectamus. Ubi enim extentio notabilis non est, qualem nimirum in istis dysenteriis deprehendimus quae mense Maii vel initio Junii in quibusdam corporibus adparent, vel etiam in illis, quae autumno occurrunt, cum lues latius non vagatur; curatio in istis etiam corporibus, quorum virium fons perquam languidus, quorumque intestinorum irritabilitas impendio magna, non solum tentari sed feliciter perfici potest. Cum enim irritationis dysentericae brevis extentio, breve requirat curationis spatium: palam est opii adhibitionem diuturnam non fore. Quisquis vero debilis, opio sanationis ergó dato necatur, non subito perimitur, sed ipsa diuturnitas adhibitionis vires paulatim consumit, quo fit, ut demum ipse virium fons defluat, vel (quod idem est) ut vires demtae non resarciantur. Huic accedit, quod ipsius morbi diuturnitas in horas vim vitalem convellit. Tali proinde tempore, ubi irritationis dysentericae extentio fere nulla est, opium in illis quoque corporibus, in quibus vis vitalis et intestini irritabilitatis ratio, numero IV. notata locum habet, tuto adhibetur. Hoc modo anno 1797 mulierem septuagenariam valde infirmam, quam (quod probe notandum) alvi fluor chronicus multos annos vexaverat,

---

verunt. Fortasse si opii amici in extollendis eius praerogativis magis circumspecti fuissent, talis medicorum dissensus nunquam esset ortus.

feliciter paucis diebus sanavi. Sed lues eodem anno popularis non fuit.

At si lues populariter grassatur, et irritationis morbosae extentio in universum notabilis observatur, talia corpora vix opio sanantur. Parvae enim quantitates alvum non comprimunt, et maiores quatuordecim dies ad minimum datae, vim vitalem omnino convellunt. (*)

An vero in his corporibus, curatio pharmacis evacuantibus, lene adstringentibus, vel aromaticis meliori cum successu têntari possit? Vix crediderim. Si enim in difficillimis hisce casibus talis curatio proficeret, in levioribus (et omnes quidem his sunt leviores) praesentissima esset; unde itaque in istis locis, ubi medici eam secuti sunt, tantus Libitinae census? —

Ante aliquot annos ad honestam quandam mulierem dysentericam vocatus, ex omnibus circumstantiis curate computatis iudicavi, opium hoc casu quidem adhiberi, sed aegram eo servari non posse. Primo proinde morbi die marito id aperui, eumque admonui, ut alium accersiret medicum, qui (quod scivi) opium abhorrens, vulgarem et satis notam curandi rationem adhibere solitus est. Maritus pro candida hac confessione maximas mihi dixit gratias, et alterum medi-

(*) *F. Willis* in pharmacopoea rationali cap. de opiatis sequentem cautelam proponit: „ Considerare oportet in quo tenore „ spiritus animalis cuiusque ditionis praesides fuerint; nam si „ pauciores vel oppressi iam iam concidunt, et vela sua non satis „ explicant, nequaquam certe a pharmaco amplius minui aut „ consterni debent “

cum (veteranum quidem) vocavit. Id primo morbi die factum est, ne scilicet opio morbi exitus, quem funestum suspicabar, imputari posset. Invisit aegram medicus eodem adhuc die, suamque medendi rationem adhibuit. Eventus tamen fuit infaustus, nam ante diem nonum animam efflavit aegra.

Tunc quidem temporis varii ad me pervenere sermones. Aliqui enim non dubitaverunt, me istam curationem suscipere recusasse, ut praestantiam meae curandi rationis, et vulgaris vanitatem ad oculos civibus demonstrarem. Talia autem iudicia susque deque habeo, candideque confiteor, me perinde istam aegram sanare non potuisse. Honesti medici officium est, ut aegrum, quem sanare se non posse credit, alii artifici, non quidem conclamatum, sed si fieri potest, re adhuc integra tradat.

Quoniam vero de virium fonte intestinorumque irritabilitate locuti sumus, necesse erit explanare, quo modo utrumque diiudicari possit. Irritabilitatis nimietas intestini canalis cognoscitur potissimum ex circumstantiis pristinae valetudinis recordabilibus. Sciscitetur ex aegro: an benevalens alvi fluori chronico fuerit obnoxius, an post cibum fortiter et supra modum assumtum tenerior fuerit alvus, an animi motus, vel ira, vel terror eam moverint, an pharmaca purgantia parva vel minima quantitate eam cierint, an citra difficultatem comprimi potuerit. Ubi ista signa cuncta, vel saltem plurima congruunt, irritabilitatis nimietatem accipere experientia suadet. Deinde ipse opii effectus non mediocrem rei affundit lucem. Ceteris enim paribus, ubi irritabilitas intestini

magna, opium deiectionum numerum, tantum protinus non minuit, quam cum irritabilitas naturalis exigua. Quare etiam certius est iudicium secundo morbi die quam primo.

At circa vim vitalem longe difficilius iudicium. Speciosus corporis habitus musculorumque robur parum lucis affundunt. Sanitas optima et eo usque inturbida, vim vitalem sufficientem quidem ad vitam sanitatemque sustinendam, vix tamen sui fontem inexhaustum designat. Quare etiam subinde ex dysenteria emergunt, qui valetudinarii audiunt, dum fortes speciosi et colorati rapiuntur. Ad diiudicandum proinde virium fontem aliam oportet legere viam.

Languidum coniectamus ex senio; perpetua enim est naturae lex, ut in senectute languescat. Quisquis annis confectus, speciosus et alacris videtur, suspecta tamen habere sua bona debet, quoniam vires, quibus pollet, ad sustinendam vitam commode sufficientes, superando gravi morbo prorsus sunt impares, ipsoque morbi impetu fractae aegre resarciuntur. Deinde effectus vini vel spiritus vini, quem aeger bene valens in semetipso observavit, ad diiudicandum virium fontem suam symbolam confert. Sunt, quos modica vel exigua vini quantitas protinus ita inebriet, ut omnino ex potestate exeant. Ubi id vel ex ipso aegro, vel ex amicis suis audio, virium fontem languidum suspicor. Ratio fere talis videtur. Omnis potus inebrians est vis vitalis incitabulum, assumta enim modica sui quantitate, in robustis non solum corporis vires vigent, sed ipsa quoque mens exaltatur, quapropter iniucundum non est ingeniosos homines audire, quos modica et laeta

crapula facundos fecit. Ubi vero maiori quantitate talis potus ingurgitatur, maior quoque oritur virium excitatio; tandem vis, ipsa excitatione exhausta fatiscit. Tunc quidem homines subito plerumque ex potestate exeunt, impendioque debiles et mortuosi fiunt. Quare teneo, vim vitalem modica vini quantitate consumendam, modicis quoque aliis potestatibus nocentibus consumtum iri.

Jure autem quis obiiciat: Ex effectu temeti modo memorato coniectabimus intentionem, qua vis vitalis eo temporis puncto pollet, alia autem est vis intentio, alius suus fons. Illa esse potest modica vel exigua, hic inexhaustus. Videmusne ubique mulieres maxime debiles, quae tamen ex ipsis gravissimis morbis sospites emergunt; cum contra corpora robusta vastaque, levioribus noxis succumbunt? Aperto duntaxat testimonio, ex virium intentione, aliquo temporis puncto observata, virium fontem, earumque proinde extentionem perperam diiudicari. Ad hanc obiectionem respondeo.

Ex effectu temeti, cum certitudine quidem virium fontem non diiudicabimus, sed cum veri tantum similitudine. Ubi quis ex parva vini quantitate debilis et mortuosus iacet, tamen non moritur, sed elapso aliquo spatio evanescit illa debilitas, viresque resarciuntur; aperto testimonio, virium fontem fuisse illaesum. Sed qui fit, ut vis resarciatur? Hanc potissimum ob causam, quod potestas nociva, quae vis vitalis consumtionem fecerat, non amplius in corpus operatur, quodque hac ratione naturae ad resarciendam vim tempus patet. Potentiae, quae vim vitalem transitorie infirmant, ubi brevis est

earum operatio, ipsum eius fontem non annihilant; ubi vero longum est spatium, intra quod indesinenter vim infirmant, tandem ipsum eius fontem exantlant. Id ex mea sententia manifestius est, quam ut longa argumentatione evincendum sit. Dato illi, quem parva meri quantitas protinus inebriat, dato illi ebrio et mortuoso incessanter adhuc vinum, continuato hoc experimentum complures dies, et certe eum necabis: sed an alterum quoque eadem meri quantitate intra idem spatium sis necaturus, qui quotidie magna quantitate id citra ullum incommodum ingurgitat? Dubium saltem videtur. Vulgaris experientia docet, eos, qui parva meri quantitate protinus inebrientur, ubi quotidianae temulentiae se dederint, celeriter satis tali vitae ratione omnino confectos mori. Alii contra, qui magnas vini quantitates citra incommodum ferunt, satis diu supervivunt. Quare palam; ex meri effectu, observato in aliquo temporis puncto, virium fontem, et proinde vis vitalis duramentum in dysenteria coniectari posse. Sed vulgaris experientia melius adhuc meam sententiam obsignavit. Magni bibones ingentes meri quantitates ingurgitant, et dum mediae sunt aetatis, citra ullum incommodum quotidie id faciunt. At iidem heroës, cum aetate procedunt, minorem et quotannis minorem meri quantitatem ferunt, donec tandem eo perveniunt, ut exigua quantitas eos inebriet. Olim famosum huiusce provinciae cognovi potatorem, qui omnes strenuos bibones facili negotio vicerat. Annis vero et ipsa perversa vitae ratione confectus, non nisi modicam vini quantitatem citra crapulam ferre potuit; quod hic locorum satis notum mihi ipse confessus est. Cum vero

a natura constitutum sit, ut in senectute ipse virium fons languescat, talem quoque languidum in nostro bibone annis confecto accipere sana ratio suadet; experientia tamen melius id firmavit; nam paucos tantum annos supervixit, et viribus tum corporis tum mentis omnino fractis animam efflavit. Hicce proinde casus (et non singulum hunc observavi,) meam sententiam probe fulcit; meri scilicet maiorem vel minorem quantitatem, quam citra crapulam aliquis ferre valeat, cum vigore vel cum languore fontis virium vitalium apprime congruere. —

Quisque pro sua eruditione vel ingenuitate huiusce rei explicationem faciat, ego tantum ipsam rem magni facio; siquidem in dysenteria non solum ad curationem sed ad praedictionem conducit. Pauci, quos parva spiritus quantitas inebriat, ex gravi morbo emergunt, sive opio sive aliis pharmacis curentur. (*)

Cum vero supra proposuerim, in senectute ipsum virium fontem esse languidum; unum adhuc monendum videtur. Quisquis ex annorum tantum computatione prognosticon quaerit, quandoque allucinabitur; etsi enim,

---

(*) In dysenteria a facultate vitali, quam virium fontem appellavi, virium duramentum potissimum pendet. Eandem vero rationem non in omnibus morbis observari certum est. In febribus nerviois exempli gratia, quas ego descripsi, homines inexhausto virium fonte instructi, neglecto auxilio celeriter rapiebantur; id vero in dysenteria nunquam accidit. Fortes quidem moriuntur neglecto auxilio, diu tamen trahunt, cum contra debiles cito exstinguuntur. Populus quidem dicit, robustissimos homines cito rapi; populus vero tales robustos vocat, qui vasto corpore, et magno musculorum robore sunt instructi.

quae dixi, in universum vera sunt, admittunt tamen interdum exceptiones. Quam ob rem tutius est, ista quae de senectute dixi, cum his quae de effectu temeti proposui, comparare; nam senes interdum largam vini vel spiritus quantitatem citra ebrietatem ferunt. Uti in his vis vitalis satis longum duramentum, sic opium facile ferunt, et nisi intestini irritabilitas nimia, feliciter sanantur.

Tandem morbi, quos aeger olim superavit, ad diiudicandum virium fontem suam symbolam conferunt. Qui exempli gratia febrem putridam vel nervicam mali moris, vel nullo vel praepostere adhibito auxilio feliciter eluctatus est, praesertim si alvus fuit fusa vel medicamento turbata, is inexhausto pollet virium fonte, nam perniciosus morbus, optima est virium obrussa. Vulgus hic locorum credit, hominem nullo unquam perniciabili labe tentatum, magis ex morbo periclitari atque alterum, ex angustiis olim iam emersum. Haec opinio quamquam fabulosa, veri tamen quidquam habet; vulgaris enim experientia ipsum populum idem docuit, quod modo proposui; perniciosum scilicet morbum, optimum virium esse lapidem Lydium.

Oportet autem sciscitare ex aegro, utrum ex gravi aliquo morbo emersus, pristinam recuperaverit valetudinem, an quaedam debilitas remanserit, sunt enim, qui vel nullo auxilio, vel praepostere adhibito, sani quidem audiant; re ipsa tamen precario valent, et praesauciatis viribus novum morbum ferre nequeunt. Omnia ista cum

supradictis invicem comparata, artificis iudicium circa vim vitalem formant.

Altera huiusce disputationis quaestio est: utrum in corpore aegroto certae notae appareant, ex quibus medicus colligere possit, an conducat opium, vel non conducat. Effectus opii in diversis corporibus multum discrepat. Sunt, qui oculis semiapertis dormiant, et insomniis turbentur; alii noctes atque dies vigilant, et ne momentum quidem somnus eis obrepit; alii interdiu vigilant, et noctu dormiunt. Quaeritur: utrum ex his notis, opii effectus vel salubris vel noxius diiudicari possit? Ex mea quidem sententia, quo minus opium universam corporis fabricam praesertim cerebrum turbat, eo magis sospitale est; quo magis vero cerebrum universamque fabricam afficit, eo minus conducit. Ubi proinde vertiginem, animi deliquium, magnam somnolentiam, vel somnum incertum facit, minus sospitale est, quam ubi tales notae sui usurpationem non sequuntur. Id vero in universum tantum dictum esto, nam multae huiusce regulae sunt exceptiones, quod, cum dysenteriam curaturo scire perquam necessum sit, accuratius explanabo.

Effectus opii est geminus, initialis nempe et insequens. Quandoque post primam opii portionem quaedam notae oriuntur, quae artificem terrere possint; talis est vertigo, somnolentia magna, vel (quod tamen raro accidit) animi deliquium. Deinde continuata opii adhibitione, istae notae evanescunt, et eadem corpora, quae modo opium non citra incommodum ferre videbantur, nunc egregie id ferunt. Ante aliquot annos ad puellam quandam vi-

ginti quatuor annorum, robusti et pleni habitus, dysenteria laborantem vocatus, prima vice guttas quinque tincturae opii ei propinavi, tam infausto successu, ut protinus linqueretur. Brevi tamen in potestatem rediit. Elapsâ hora, denuo quinque guttas propinavi eodem fere successu. Tunc quidem naphthae vitrioli aliquot guttas post assumtum opium dedi, et animi deliquium aegram non amplius tentavit. Sequente die tincturam opii puram citra ullum incommodum ei propinavi, et aegra hoc solo auxilio brevi et perfecte convaluit. Mea sententia circa hanc rem est fere talis.

Omnis medicina, in quibusdam corporibus sub initio alium prorsus ostendit effectum ac in progressu, id non solum de pharmacis incitantibus sed etiam de debilitantibus dictum esto. Medicamenta amara, cortex Peruvianus, adstringentia, nitrum, aliaque, dolorem non solum ventriculi, sed graviora quandoque taedia, in quibusdam corporibus prima vice propinata creant; quapropter subinde tutum est, viscum amaris, et syrupum guttasque tincturae aromaticae salibus admiscere. Venae sectio prima vice eius insuetis haud raro animi deliquium creat. Ex omnibus tamen notis non sequitur, talia auxilia in his corporibus non posse adhiberi; nam corpora, quae graviter sub initio ab illis afficiuntur, deinde haud raro egregie ea ferunt. Natura ita corpus humanum instruxit, ut ad potestates nocentes, tum debilitantes tum excitantes serius ocius adsuescat. Absonum proinde est, ex notis effectus initialis, iudicium de pharmaco aliquo ferre. Ut exemplo id illustrem: demus, duos peripneumonia labo-

rare, alter crebrae venae sectioni multos annos adsuetus, alter insuetus. Ambobus his venam secabimus; ille istud auxilium citra incommodum fert; hic contra protinus animo linquitur. Quid? nonne medicum omnino hospitem in arte haberes, qui diceret: hic, quem ex venae sectione animi deliquium tentavit, id auxilium non fert, venam proinde secunda vice non secabimus? — Vel extinguetur miser, vel ulcus pulmonum contrahet, non quidem ex morbi vehementia sed ex neglecto potius auxilio. Si ergo aliquis vertiginem vel somnolentiam post assumtum opium primo die lamentatur, vel si animo linquitur, perinde absonum est, opium territicatus seponere. Supra ex spirituosorum effectu, observato in aliquo temporis puncto, virium fontem diiudicari posse proposui; id cum his, quae modo proposui, pugnare videtur. Reapse tamen pugnantia non dixi; siquidem spirituosa, insueto saltem incitamento corpora non afficiunt, nam a cunabulis inde homines eis adsuescunt. Divites vinum vel quotidie, vel crebrius duntaxat bibunt quam ut insueto incitamento eos afficere valeat. Pauperes vero spiritum frumenti tanti faciunt, ut plurimi eorum, pane potius, quam hac recreatione egere maluerint.

Uti vero notae taediosae, opii usurpationem non dissuadent, sic notae bonae et optatae eius adhibitionem audacem non suadent. Sunt, qui primo die opium non solum citra incommodum ferant, sed quoque multum inde levati videantur. Ipsissimi tamen hi, opio quandoque sanari nequeunt. Quanquam id viris ingeniosis et expertis explicare superfluum videtur, officium tamen nostrum

inexpertorum causa, ad quorum manus hic libellus pervenire possit, curatiorem explanationem exigit.

Modo diximus, effectum opii esse duplicem, primordium nempe et insequentem. Exemplo id illustrabimus. Esto Erasmum et Lucium una in oenopolio bibere, ille sit firmus, hic debilis. Ecce! ternos et quaternos scyphos bibere, et neuter est ebrius. Num ex hoc effectu concludes, vinum ulterius potatum in ambobus aequalem ostensurum effectum? Contemplare potatores post aliquot horas, et Lucium videbis ebrium, Erasmum vero mentis compotem. Vel ut alio exemplo utar. Demus, duos homines, alter fortis alter infirmus, propter leve aliquod taedium in pharmacopolae circumforanei manus incidisse. Utrique alvum purgabit. Sed si post primam purgationem vel secundam, ambos in forum prodire, et suis officiis fungi vides; num ex hoc effectu primordio temere iudicabis, debilem iuxta ac fortem feliciter ex iatraliptae manibus elapsurum? Invisas ambos ulterius purgatos post aliquod tempus, et fortem, opinor, monogrammum quidem sed ceteroqui mediocriter valentem, infirmum contra marcidum et enectum deprehendes.

Opium proinde, quod curationis ergo parvis portionibus et interpositis certis intervallis propinatur, primo quidem die egregium effectum praestare potest, utpote quod intra hoc spatium vim vitalem infirmam convellere nequit; continuata vero adhibitio harum exiguarum portionum (quae tamen ad curandam dysenteriam requiritur) progressu temporis vim vitalem omnino convellere valet.

Quare palam est, ex notis effectus initialis, opii virtutem vel noxiam vel salubrem subinde perperam diiudicari.

Quaeritur autem: utrum in progressu morbi, insequens opii effectus vel sospitalis vel detrimentosus ex certis notis coniectari possit? Plerumque aegri elapso die uno alterove magnam virium debilitatem et prostrationem lamentantur, alii contra satis alacres manent. Uti illa virium prostratio opium seponere, vel eius quantitatem minuere non semper suadet, ita haec alacritas, neque audaciorem opii adhibitionem hortatur, neque semper felicem morbi exitum spondet.

Primum quidem manifestius est, quam ut curatius explanandum sit. Quoniam enim ipse morbus in dies vires minuit, et opium perinde vires demit, fieri non potest, quin aegri post aliquot dies maiorem minoremve debilitatem sentiant. Haec debilitas tam diu tenet, donec irritatio intestinorum evanescit. Uti vero credimus, irritationem dysentericam, vim vitalem in intestino canale superantem ponere, opium detrahendo vim huic organo, dysenteriae mederi; ita debilitas, quae in decursu morbi incidit, aeque parum nos terrere potest ac debilitas, quae post repetitam venae sectionem in peripneumonicum cadit. At quare alacritas, quam quaedam corpora in decursu morbi ostendunt, neque audaciorem opii adhibitionem suadeat, neque felicem exitum spondeat, difficilius est explanatu.

Irritatio morbosa in organo aliquo, vires vitales excitat, et excitando eas consumit, quapropter ista consum-

tio certis notis se non prodit. Illi, quos thoracis inflammatio, vel intestinorum vehemens dolor infestat, ipsa violenta irritatione organi affecti incitantur, ut virium consumtionem non sentiant; nunc lectum exeant, nunc istuc se recipiant, nunc eiulent, nunc amicorum opem implorent. Cum vero vehemens ista irritatio vim vitalem in horas consumit, incidit tandem debilitas, sed cum debilitate mors ipsa. Talis quoque irritatio dysenterica violenta, in illis corporibus, quorum virium fons est perquam languidus, momentarium virium vigorem mentiri potest. Suspectus tamen est ille vigor; subito enim et ex improviso vires vitales ipsa incitatione consumtae labascunt, et mors est in propinquo.

At non irritatio solum dysenterica, sed etiam alia irritamenta aliena, virium vitalium successivam consumtionem interdum velare possunt. Tales sunt animi motus, mortis formido, anxietas et cura circa malum aliquod negotium. Hi nempe affectus, animum continuo turbant, exagitant, et proinde a corporis conditione devertunt, quapropter aegri debilitatem neque conqueruntur, neque quidem sentiunt. Exemplo nobis sit miles, qui in pugna saucius, ex magna sanguinis profusione debilitatem vix sentit, sed vel furore incensus, vel clamore virorum tormentorumque tonitru entheus cum hoste dimicat, donec sanguinis profusione exhaustus corruit.

Atque non animi affectus solum, sed alia adhuc animi conditio, virium successivam consumtionem ita velare potest, ut haec notis visibilibus se non prodat. Nescio fere,

quo vocabulo hanc conditionem designem, quapropter eam descripsisse sufficiat. Sunt nempe homines animi erecti, qui tantam habeant virium suarum fiduciam, ac si Deus aliquis eis spopondisset, se aeterno esse victuros. Talis animi conditio firmam plerumque corporis compagem et virium inexhaustum fontem designat. At ubi in his corporibus vires corporis, vel morbis periculosis male curatis, vel ipsa senecta sunt fractae, animus quandoque manet fortis et inconcussus. Tunc quidem tales sibi persuadent, se viribus impendio adhuc pollere, cum tamen re ipsa maxime infirmi sunt. Tantum abest, ut, cum aegrotaverint, mori cogitent, ut nequidem ex ipso morbo debiles videri velint. Quantum vero valeant cogitationes, ad excitandas vires, medicis gnarum est. Quisquis, cum taedium aliquod eum infestat, animum protinus demittit, se ipsum debilem sentiet, ubi vere animum recipit, fortis erit. Subinde id in aliis, imo in me ipso expertus sum; quare, ubi leve aliquod incommodum me vexat, morbi cogitationem mihi iniici et obtrudi nolo. Mirabilia prorsus huius rei novi exempla. Homines gravibus morbis vidi affectos, qui tamen, etsi omnes notae gravem morbum designabant, id tamen magni non facientes circumeundo et colloquendo sanorum speciem praebuere. Quando tales homines in debilitatem notis evidentibus stipatam incidunt, non in malo solum res est, sed ipsa mors in propinquo. Haud pridem est, ex quo senem talem dysenteria laborantem omnino incurabilem observavi. Vesperi adhuc iusculum comedit, obambulans in diaeta collocutus est cum familia, et magnus nicotianae amator adhuc fumigavit. Altero mane infantes

moribundum in lecto invenere. Nulla quidem pharmaca hicce assumserat, quae corpus quodammodo turbare potuissent.

Mihi proinde persuasissimum est, virium successivam consumtionem in omnibus corporibus certas non habere notas, quapropter absonum videtur, ex solis notis praesentibus et evidentibus vel futurum morbi exitum praedicere, vel opii effectum noxium aut salubrem computare. Tutius omnino est, virium fontem, irritabilitatem intestini, et dysentericae irritationis diuturnitatem, cognitam ex epidemii morbi natura comparare, et secundum hanc collationem tum futurum morbi exitum, tum opii effectum vel sospitalem vel detrimentosum diiudicare. Sciet nimirum hoc pacto artifex, quo casu opium audaci manu liceat porrigere, quo parca, et quo consultius sit ab eo utique abstinere. Ubi proinde perspexerit, nullam aegro ex hoc auxilio exspectandam esse salutem, vel aliud tentare poterit, vel quod melius, aegrum alii artifici tradere, qui oppositam curandi methodum laudat. Sunt quandoque medici, qui contra opium audaces et periclitantes caedant sermones; ad eos oportet tales delegare aegros. Cum enim temerarii ex his curationibus non nisi precariam sibi conciliare possint famam, ad meliorem, nisi omnino sunt inemendabiles, redibunt frugem. Atque uti istuc sciti est hominis, ita moralitati non est adversum; siquidem ipsa moralitas nos vocat, aegrum alii artifici curandum tradere, quem ipsi servare non possumus. Juniores tamen collegas commoneo, ne de opii effectu vel salubri vel noxio, neque de fausto

vel infausto morbi exitu temere iudicium ferant. Mathematicae non sunt magnitudines, quas comparamus, sed rationes obscurae subinde et suspicabiles, quare consultius est omnes curate computare et trutinare.

His absolutis, irritationis intestinorum effectum cum effectu opii comparabimus, visuri, utrum ex hac collatione quidquam emolumenti ad morbi curationem redundet. Dysentericae irritationis intestinae effectns, est talis.

I. Humores per anum exturbantur, atque haec evacuatio sine virium consumtione fieri nequit.

II. Propter motus intestini irregulares, cibi cupiditas deficit, et ingesta alimenta non rite digeruntur, unde virium restauratio magis minusve impedita.

III. Universum corpus secundum naturalem partium consensum plus vel minus vehementer irritatur, unde proinde nova et continua virium consumtio.

Opium contra

I. Vim vitalem directe infirmat.

II. Cordis et arteriarum motum auget.

III. Irritationem intestinam tranquillat, et proinde alvum comprimit.

Ex hac comparatione elucescit; opium, quatenus vim vitalem infirmet, et quatenus cordis et arteriarum motum augeat, cum ipso morbo ad aegri interitum operari; quatenus vero alvum comprimat, eatenus solum esse sospitale. Inde sequitur, opium minore quantitate datum,

quam ut alvum comprimere possit, prorsus esse inutile, imo (ni fallor) detrimentosum. Altera adhuc inde magni momenti regula sequitur, cui tamen ad meliorem intellectum quaedam praemittere debemus.

Multum differt, utrum opium in corpus sanum operetur, an in aegrotum. In secunda enim valetudine, vis vitalis opio imminuta, sua sponte resarcitur, nam tale est naturae constitutum, ut vis vitalis, potentia aliqua debilitante fere exstincta, sua sponte resurgat. At in morbis periculosis, ista virium refectio, magis minusque manca esse consuevit, et quo minus vis vitalis, vel ipso morbo vel potentiis externis imminuta resarcitur, eo perniciosior est morbus. Potentiae itaque debilitantes, alium prorsus ostendunt effectum in aegrotis corporibus, ac in bene valentibus. Si exempli gratia homini sano sanguinem detrahis, eo infirmatur nimirum, sed elapsis aliquot horis debilitas evanescit, et vis vitalis repensa est. At si illi, qui febre nervica laborat, venam incidis; debilitas quae inde oritur, non protinus evanescit; sed subinde in horas augetur. Quo longius etiam valetudo a sanitate distat, eo minus de virium reparatione confidere poteris. Id perinde vulgaris experientia docet; in febribus enim malignis, sub initio venam secare perniciosum est, sed perniciosissimum in morbi progressu; quod quidem exunctores, medici personam gerentes probe norunt, abstinent enim in harum febrium progressu a tali auxilio.

His praemissis, secunda regula ex nostra collatione talis resultat. Non sufficit opium ea quantitate propinare, quae alvum comprimere valeat; sed oportet id tempori,

re adhuc integra facere, et non diu cunctari. Cum enim in morbi initio, valetudo tantum non a sanitate distet, quantum in morbi progressu, tuto quoque de virium spontanea refectione confidere possumus, et debilitas, quam inducit opium, non est pertimescenda. Qui secus agit, illos non servabit, qui pro morbi natura servari possunt; olescente enim noxa (et haec quidem in horam gliscit) virium refectio magis magisque labascit, et debilitas, quam ad comprimendam alvum necessariae opii portiones procreant, sponte ac in sanis evanescere nequit, sed potius augeri, et in ipsam mortem desinere debet. Si vero de opii portionibus satis magnis sub initio morbi ingerendis loquor, manifestum est, omnes cautelas supra positas esse observandas.

Ultima dirimenda venit quaestio; utrum opium acrimonias, vel, si mavis, sordes valetudini nocivas, si tales adsint, in intestino canale retinere queat.

Medici, qui id contendunt, temere sibi persuadent, opium nervos intestinorum ita exsurdare, ut acrimonia aliena et nociva non amplius irritentur, acrimoniae proinde transeundi in massam humorum patere tempus. At qui talia proponunt, (me iudice) neque corporis humani oeconomiam, neque dysenteriae naturam, neque opii effectum satis perspectum habent; atque si quibusdam ex his abunda naturam observandi fuit occasio, perversa tamen theoria suos oculos et animos ita obcoecavit, ut rem utique manifestam vel non viderint, vel dissimularint. Corpus humanum ita a natura instructum est, ut omnes materias alienas et irritantes vel forinsecus ingestas vel intrinsecus natas eliminare adnitatur. Hunc nisum medici

vi medicatrici tribuerunt. Uti vero haecce vis medicatrix, in universum corpus competit, sic in ipso intestino canale praesertim, et sub oculis nostris se exserit. In secunda valetudine, ubi quis cibum vel potum fortiter et supra modum assumsit, alvus movetur, et natura materiem, cui digerendae vires erant impares, corruptam proinde et alienam, vel sursum vel deorsum exturbat, In corporibus robustis recteque valentibus id citra magnum incommodum accidit. Sed corpora iusto irritabiliora, aliis taediis sunt obnoxia. Natura enim medicatrix (liceat nobis compendii causa prisco vocabulo uti) irritamento alieno et nocivo insurgens, maiorem subinde movet impetum, quam ad eliminandum stimulum necesse est. Tunc quidem oriuntur motus omnino enormes et turbulenti, ut intestina nunc hic nunc illic constringantur, atque ipsi materiae, quae huiusce tumultus fuit causa, egressus intercipiatur. Quandoque hoc casu, deficiente motu deorsum versus necessario, medicamentis purgantibus eum promovere conducit. At in dysenteria, ipsa motus deorsum versus nimietas, materiae nocivae (si talis adest) descensum, intestinum rectum constringendo impedit, quale palam est, ista nimietate propinato opio circumcisa, materiam facilius eliminatum iri.

Fortasse quis dixerit: cum actionis nimietas in intestinis opio deletur, an non etiam actio ad eliminandas sórdes apta et necessaria minui et sufflaminari potest, unde sordium retentio aliaque taedia? — Repono: natura certe parcius homini prospexisset, si tanti momenti operationem, cui vita et conservatio nostra praesertim innititur, proti-

nus turbari sineret. Nae! illa tantam istis motibus salutaribus tribuit perseverantiam, ut non temere possint turbari, et ubi quis vi et impetu eos turbare voluerit, inultus saltem id non faciat. Age expertissime collega! qui tantus sordium retentionem et inclusionem times, dato dysenterico, qui revera acrimonias nocivas in intestinis fovet, dato illi opium, et experire, an motum deorsum versus salutarem possis impedire. Vel frustra profecto id periclitabere, vel ubi magnis opii quantitatibus inducias a natura extorseris, recurret tamen brevi motus salutaris, aut tormina violenta orientur, aut anxietates, vel ventris inflatio, vel alia taedia, et nisi omnino brutum es animal, festinanter satis a tali auxilio abstinebis. (*) Quid? an ergo, ubi dysenteria opio perfecte est sanata, acrimoniae in intestino retentae valetudini insidias afferant? — Allegas ex medicorum monumentis exempla. Homines opio a dysenteria liberatos variis deinde taediis obnoxios fuisse refers. — Macte! tibi opitulabor; en mirabilem historiam! Dysentericus quidam adhibito opio perfecte sanatus, satis bona valetudine uti visus est. Sequente vero hieme in glacie ambulans cecidit, dextrumque humerum fregit. Commissis ossibus, ferulisque super accommodatis, amicus quidam meus, medicus impendio doctus tenuit, sor-

(*) *F. Hoffmann* de opiatis inquit: „Si in morbi initio dantur intus retenta materia, summas praecordiorum anxietates, singultum, aphthas et periculosas inducunt inflammationes.“

Si materia nociva adest, id alvo opio compressa accidet, sed magnum erit artificium, hoc casu alvum comprimere, et quam maximum, dysenteriam perfecte opio sanare.

des et acrimonias ex dysenteria superioris anni residuas, huic homini casum in glacie humerique fracturam fecisse. Probavit quoque doctissimam suam sententiam; aliquoties enim aegro alvum purgavit, et (quod mirabile dictu,) fracturam paucis septimanis sanatam vidimus. — Quid? rides? credis me fabulam tibi narrare? Vel oportet titulo professoris, aut archiatri, aut equitis sim ornatus, ut fidem mihi habeas. — Nullum putas esse nexum inter humerum fractum sordesque dysentericas. — Noster esto! idem teneo, et ea propter hunc apologum, iuxta ac levifidas scriptorum observationes, in quibus sana ratio nullum inter noxam eiusque causam perspicit nexum, nisi precarium in ipso tantum imaginoso scriptorum cerebro situm castaeque experientiae utique incognitum, vilipendo atque reiicio. (*)

(*) Talis *Zimmermann* homini post dysenteriam opio sanatam purgantia propinat; febris oritur intermittens. Hanc deinde sordibus dysentericis non sufficienter eversis tribuere non dubitat!! talis narrat; in provincia aliqua medicum opio dysenteriam sanasse; modo omnes a dysenteria liberatos vel hydrope vel artuum doloribus esse exstinctos, vel miserrimos saltem mortem amicam avide exspectare! At si in provincia aliqua, dysenteria mediocriter tantum grassatur, magnus profecto hominum numerus aegrotat. Quaeso! finge tibi, omnes post superatum morbum, vel hydrope, vel doloribus artuum non vexari solum, sed exstingui, numne stupidissimus quisque nexum aliquem inter noxas istas se excipientes esset suspicaturus? Ego duntaxat puto, medicum tali curatione mediocres tantum laudes inter populum sibi comparare posse; Zimmermann tamen inquit, populum nihilominus illum artificem magni adhuc facere. Omne istuc amicus quidam Zimmermanno rescripserat. Sed homines, qui tales nugas medico referunt, vel artifices, quos calumniantur, odio habent, vel medi-

Nihil certe ridiculosius, quam omnes morbos qui dysenteriam post longius vel brevius spatium sequuntur, pro ipsius dysenteriae male curatae sequelis habere. Quis est artifex, qui, cum aliquem a morbo liberavit, perfecte sanato omnium futurorum malorum immunitatem spondere possit? Edepol! mihi ipse gravem morbum optarim, ut talem artificem adire, mihique non solum sanitatem, sed futurarum etiam noxarum immunitatem comparare possim.

Hac occasione singularem narrabo casum, quem, etsi olim litteris mandatum, huius libelli lectoribus incognitum tamen puto. Vir quidam sexagenarius robustus, strenuus potator, dysenteriae notas animadvertit. Cum vero vinum optimum omnium morborum antidotum sibi videatur, vesperi eiusdem diei repotia celebrans tantum vini ingurgitat, donec crapulae est plenus. Dysenteria hoc panace multum aucta, aeger opem medici implorat, qui Rheo aliisque pharmacis alvum ei probe purgat. Morbus exasperatur: me appellat aeger, et paucis diebus ratione supra descripta sanitati eum restituo. At revalescendo hic in insaniam incidit, absona et aliena effutiens. Imo non intra verba solum desipuit, sed ipsa vestimenta laceravit, aliaque perpetravit, quae rationalem hominem indecent. Arteriarum pulsus et alvi excrementa erant sanorum similia, neque aliae notae febris suspicionem dabant. Ego quidem primo coniectavi, opium huiusce insaniae esse causam. Sed quare insania primis morbi diebus, cum aeger largiorem opii quantitatem assumserat, orta non

---

cum, cui tales apologationes impingunt, urbanitatis vel adulationis causa titillare gestiunt.

erat? Quare in revalescentiae stadio, cum fere in eo esset, ut medicinae vacationem concederem? Quoniam id inexplicabile mihi visum est; tenui, me omnino nihil moliendo sed exspectando, optime aegro consulturum. Quinto fere die, ista insania sua sponte cessavit, et aeger protinus officiis suis fungi valuit. Tum ut certus fierem, an opium insaniam induxisset, huic viro aliquot dies opium experimenti causa propinavi, sed neque insania, neque aliud taedium eum infestavit. Quaeso! si quis ex procaci omnia temere diiudicantium tribu hunc virum vidisset, nonne exclamaturus fuisset: Ecce! homo ipso opio lymphatus? sed talis insania quandoque alios etiam morbos sequitur. Memini puellae, quae post capitis erysipelas eam contraxit, et non quidem ex opio, quippe quae neque opium neque alia pharmaca assumserat. Hanc ego sanavi, sed aliam memini, quae sua sponte in potestatem rediit.

At si quis virum insanientem, cuius historiam narravi, adhibitis medicamentis purgantibus sanavisset; quid? an inde sequeretur, insaniam ex retentis sordibus intestinorum provenisse? — Neutiquam; pharmaca enim purgantia subinde cerebri irritationi medentur, non everrendo morbi fomitem, sed ciendo in intestinorum canale irritationem adversariam.

Novi puellam, quae a dysenteria ope purgantium liberata, paulatim in desipientiam incidit. Strenuus purgantium inimicus opiique defensor, hoc casu sine dubio exclamaturus esset: en! detrimentosus purgantium effectus! Tales vero technae vitilitigantem potius quam serio disputantem decent. Ubi morbus alter, alterum sequitur, tunc

quidem, si gemini illi in magno hominum numero constanter se excipiunt, sana ratio secundum verisimilitudinis leges nexum aliquem, etsi incognitum inter ambas noxas accipere dictat, et quo maior est hominum numerus, in quibus ista morborum series observatur, eo similius est vero, nexum aliquem subesse. At si contrarium accidit si in quam maximo aegrorum numero talis noxarum series non observatur, sed in uno tantum alterove homine; sana ratio perinde suadet, in singulo tali casu, nexum inter primam et secundam labem non statuere, sed de aliis potius vel evidentibus vel latentibus secundi morbi causis curate inquirere.

De Naphtha vitrioli et spiritu vini.

Medicus, qui febres nervicas medicamentis excitantibus curavit, hominesque ex ipsis orci faucibus ad vitam reduxit, dysenteriam vero popularem ipse non curavit, facile sibi persuadebit, ista medicamenta in hoc etiam morbo eundem laudatum praestatura esse effectum. Multum vero differt dysenteria a tali febre, quod capite IV. explanavi. Debilitas, quae ex dysenteria hominibus accidit, non nisi alvi compressione praecaveri et sanari potest. Cum vero neque vitrioli naphtha, neque spiritus vini aliaque excitantia alvum comprimant, inutilia prorsus ea habeo. Una autem dirimenda est quaestio.

Neminem dysenteria rapit, nisi cuius vires ocius fatiscant, quam ut medicus alvum comprimere possit. Nonne proinde his excitantia conducunt, quae vim vitalem suscitent et sustineant, ut medico ad comprimendam

alvum tempus pateat? Haec quidem propositio probabilis videtur, reapse tamen falsa est.

Opium ex nostra sententia alvum comprimit non excitando sed debilitando. Ubi proinde excitantia opio iunguntur, ipsius opii vis eo infringitur, et quanquam homines assumtis excitantibus satis alacres videantur, nihilominus, nisi alvus comprimi potest, morbo succumbunt.

Opium in integram corporis oeconomiam operatur, praesertim vero in intestino canale effectum suum exserit. Et virtus quidem sua, qua intestinum afficit, virtutem, qua reliquam fabricam afficit, longe antecellit. Id inde patet, quod in corporibus sanis, tales quantitates evidenter intestina afficiunt, alvumque comprimunt, quae reliquam corporis oeconomiam ne evidenter quidem afficiunt.

Spirituosa autem excitantia, ut in integram fabricam operantur, praesertim suam virtutem in cerebro, arteriis, musculisque exserunt, ita intestinorum canalem tardius afficiunt, operatio saltem in hoc organo (nisi ingente quantitate ingerantur) perinde evidens non est, ac in reliqua fabrica, praesertim in cerebro.

At effectus medicamenti alicuius non solum ab irritabilitate totius corporis, sed a relatione etiam pendet, quae inter singulorum organorum irritabilitatem intercedit; quapropter id, quod modo de spirituosis diximus, etsi in universum a veritate non abludat, multas tamen patitur exceptiones. Exemplo id explanabo. Esto, tres homines aequalem spiritus quantitatem bibere. Alteri ventri-

culus iusto sit irritabilior, alteri systema vasorum, alteri cerebrum. Tunc in tribus his, pro diversa partium irritabilitate alius et alius orietur spirituosorum effectus. Primus nimirum nauseam sentiet, ventriculusque ei movebitur, antequam ad crapulam pervenerit. Alter vasa habebit turgida, arteriae vehementer pulsabunt, aestusque ingens cum incommodi sensu eum tentabit. Tertius vero neque nauseam, neque aestum sentiet, sed animus ei exaltabitur, et iocosos effutiet sermones.

Vulgaris haec observatio docet: mutata irritabilitatis ratione in aliquo organo (quam quidem mutatam rationem morbus procreare potest) alium et alium esse spirituosorum effectum. Quapropter etsi opii virtus qua alvum comprimit, virtutem qua cerebrum reliquumque corpus afficit, evidenter antecellit; etsi spirituosa non in universum solum virtute pollent contraria, sed etiam respectu partium quas peculiariter afficiunt, etsi proinde cum opio mixta, in corporibus quorum intestina minus irritabilia, opii virtutem qua alvum comprimit, non infringunt, sed tantum nocivum eius effectum in cerebrum reliquamque oeconomiam redundantem praecavent: nihilo tamen minus in corporibus dysentericis, quorum intestina, eximia irritabilitate laborant, alvum movebunt, et proinde opii virtutem qua hanc comprimit, evidenter infringent. Unde sequitur, spirituosa excitantia, in dysenteria neque laudatum praestitura effectum, neque id, quod experientia de opii et spirituosorum effectu in febribus cum virium languore nos docuit, ad dysenteriam temere applicari posse, siquidem in hac alia prorsus irritabilitatis intestini ratio observatur atque in illis.

Haec cogitata ut ut vulgaria ad experientiae obrussam vocavi. Mihi enim operae pretium videbatur explorare, utrum in illis corporibus, ubi propter virium debilitatem eximiamque intestini irritabilitatem sanatio fieri nequit, excitantia spirituosa cum opio iuncta debilem vim vitalem erigendo, opii virtutem, qua alvum comprimit, non infringerent, ut hac ratione componendis intestini turbis tempus pateret, et aegri praepropera mors artificem hac curatione excubantem non opprimeret. Dummodo id ex voto successisset, neminem dysenteria in posterum absumtura foret. Sed eventum votis non respondit.

Primo tentavi istud auxilium in corporibus morbo sanabili affectis, et quidem initio luis, quoniam tali tempore suapte natura perniciabilis non est. Opium cum naphtha vitrioli miscui, siquidem haec, virtute excitante omnia pharmaca antecellit. Drachmas duas cum guttis sexaginta tincturae opii et sex aquae viscosae conieci, singulaque hora unum cochlear propinavi. Observabam, aegros satis bene se habere, nec debilitatis sensum lamentari; neque in eorum vultu elucus apparebat, qui post assumtum opium apparere consuevit. Deiectionum quoque numerum protinus imminutum vidi. His observatis parum adhuc scivi, ut certus fierem, diducenda erat curatio.

Ex mea quidem sententia, si naphtha, opii virtutem qua alvum comprimit, non ex parte infregerat, data eadem quantitate opii immixti, sedium numerus fere idem manere debebat. Quo id explorarem, abstinui a naphtha, et eandem opii quantitatem, quam antea cum naphtha

commixtam dederam, nunc solam propinabam. Nunc secundo morbi die, nunc tertio id feci, in diversis enim corporibus id experiri necesse est. At opium immixtum protinus sub oculis nostris deiectionum numerum duplo plus minuit ac cum naphtha remixtum.

Fortasse quis crediderit, me naphtham impuram, acido sulphuris inquinatam adhibuisse. Huic respondeo: naphtha, qua utor, secunda vice ex kali caustico destillatur, deinde adhuc aqua abluitur, qua propter acidum sulphuris non continet, et spiritus vini solummodo tantum, quantum minimum est. Scio quidem, naphtham arte chemica ad ulteriorem adhuc subtilitatem cogi posse, id tamen ad usum medicinalem supervacuum est; in optimis saltem Germaniae officinis, quas ego vidi, meliorem non offendi.

Postquam ergo perspexeram, naphtham in corporibus morbo sanabili affectis, alvi compressionem impedire, a tali auxilio in his abstinui. Supra vero dixi: quaedam corpora sanationem non admittere, talia scilicet, quorum vires sunt debiles et intestini irritabilitas magna. Haec grassante potissimum dysenteria, insanabilia esse proposui; siquidem eo tempore irritatio dysenterica longius habet duramentum, quam cum morbus popularis non est. Subinde, si medicus aliquot annos in loco aliquo medicinam fecit, corporumque varias constitutiones noscit, omnibus circumstantiis rite perpensis, tali casu certam mortem praedicere potest, antequam medicamentorum quidem effectum in istis dysentericis observavit. Talia proinde corpora mihi sumsi, imo officium meum aestimavi, in his

aliud et novum tentare auxilium, in quibus a sueto et probato nihil fausti sperandum.

Inter alios monastriae septuagenariae, cuius constitutionem probe perspectam habebam, in potione sex unciarum, guttas opii sexaginta et drachmas tres naphthae vitrioli propinavi; cuius potionis singula hora unum cochlear capiebat aegra. Nullam omnino sensit debilitatem monacha nostra, sed sedium numerus, qui ab initio magnus non fuerat, ex opio nihil decrevit. Tertio die abstinens a naphtha, cum eadem aquae quantitate triginta tantum guttas tincturae opii miscui. Effectus erat singularis; triginta enim guttae opii immixti, ad comprimendam alvum plus faciebant, quam sexaginta cum naphtha mixtae. Cum compressa vero alvo, debilitas incidit et somnus incertus, aegraque conquesta est, varios sibi ante oculos volitare gryllos. Rursus naphtham propinavi, et evanuit elucus, auctis una deiectionibus. Ex quo coniecto, naphtham opii virtuti multum detrahere.

Tandem veniunt corpora, quorum vis vitalis modica et intestini irritabilitas impendio magna. Ubi in haec perniciosior dysenteria cadit, dubia est curatio. Multi largis opii quantitatibus sub initio datis servari possunt. Sunt tamen, quorum intestinorum irritabilitas tanta, ut magnae etiam opii quantitates non solum alvum non comprimant, sed ad minuendas deiectiones ne hilum quidem faciant, quod nisi ipse expertus vix crediderim. In tali corpore, primo larga satis quantitate opium adhibui, nihil vero proficiens et proinde iudicans, aegrum certo esse periturum, naphtham vitrioli cum spiritu vini et opio dedi

visurus, utrum fugacem vitam retinere possem. Tunc quidem notae ominosae et lethiferae obortae nondum erant. Deiectionum numerus hac medicina nihil augebatur, sed alvus eodem tantum tenore fluebat. Obstupui primo, mihique haec observatio cum antecedentibus pugnare videbatur. Ut certus fierem, opium seposui, et spiritum purum cum naphtha dedi, sed ex hac quoque medicina alvus profusior non fluxit. Deinde naphtham puram cum aqua dedi, et idem mansit fluoris impetus. Singula mecum computans talem fere huiusce casus explicationem probabilem feci.

Organum aliquod, ubi irritamento ad actionem nimiam et exorbitantem incitatur, nimietasque actionis ad summum perducta est, addito adhuc novo incitabulo, ad vehementiorem actionem non proritatur, nisi novum irritamentum primo efficacia multum antecellat. Vulgaris experientia hanc thesin abunde fulcit. Cum exempli gratia aliquis spiritum vel vinum bibit, arteriae ad fortiorem actionem incitantur. Cum vero ista actionis nimietas ad summum pervenit; modicae huiusce potus quantitates validiorem arteriarum actionem non creant, hae potius eodem tantum tenore pergunt. Idem observatur in febribus nervicis: si in tali febre arteriae plenae et citatae pulsant, modica spiritus quantitas earum actionem non accelerat. Hac proinde ratione casum supra memoratum explicavi: irritatio nempe intestinorum in illo viro quam maximam vehementiam et pertinaciam attigerat, magnis enim opii quantitatibus nequicquam eam moderare tentaveram. Mirandum ergo non est, quod excitantia

spirituosa, neque opio maritata neque immixta alvi fluorem auxerunt. Huic accedit: quod amara, qualis est cortex simarubae, ipsaque adstringentia, quale est extractum mimosae catechu, quae minima quantitate dysenteriam sanabilem exasperant, in desperato aliquo casu, ubi irritatio tanta est, ut opio ne pauxillum quidem moderari possit, fluorem non exasperant. Non semel sed subinde id expertus sum, nam varia in hisce casibus tentavi auxilia, tum nova tum ab aliis auctoribus laudata, siquidem officium meum putavi id facere, et in posterum faciam.

Quid? an ergo dysenteria excitantibus spirituosis opio iunctis sanari nequeat? Absit, ut talia lectori impingere tentem; serio potius persuasus sum, subinde aegros tali auxilio esse sanatos. Sed quaeso, quales? Ex mea sententia tales, qui opio immixto citius et tutius potuissent sanari. Quanquam enim proposui, vinum, spiritum, et naphtham, opii virtutem infringere, nihilo tamen minus mixtura ita temperata, ut opium praeponderet, alvus (nisi irritatio dysenterica nimis violenta) comprimi atque aeger servari poterit, imo ipse ego tali auxilio aegros sanabo.

Sed multa alia pharmaca opio adiiciam, contraria quidem ac pugnantia, et tamen aeger sanescet. Ubi levis est curatio, remedia minus apta (nisi omnino valida sunt venena) citra magnum incommodum, saltem citra vitae dispendium, propinantur. (*) Sed id circo,

(*) Probe itaque *Stoll* in ratione medendi: » Idem in dysentericorum curatione evenire observavi, quod in plerisque aliis

quod neque morbum evidenter exasperant, neque mortem praematurant, magnis ea protinus extollere laudibus, absonum mihi videtur: Vinum, spiritus, naphtha, eatenus tantum in dysenteria prodesse possunt, quatenus incitando vires sustinent, ut artifici ad comprimendam alvum tempus pateat. In illis itaque casibus summopere necessaria sunt, ubi virium debilitas, magna intestini irritabilitas, et dysentericae irritationis duramentum inevitabilem mortem designant. Cum vero in hisce casibus vim vitalem prorogare nequeant, in aliis, ubi opium omnem absolvit numerum, èa prôrsus supervacua duco.

Quae prôposui, non ad sustinendam futilem hypothesin dicta sunto. Si experimenta, quae institui, exspectionem non fefellissent, plurimos non solum, sed omnes aegros servare possem, et communicando talem curandi rationem expertissimis meis collegis, maiorem sane laudem mihi comparaturus essem, quam defendendo aliquam hypothesin. Modo non nisi imperfectam curandi methodum eis proponere possum; est enim me iudice imperfecta, qua omnes servari nequeunt. Perfectissima quidem methodus non impedit, quo minus unus vel alter morbo absumatur, id vero casu fortuito fieri potest, methodusque sanandi id circo non est improbanda. At si sana ratio providet, omnes methodo aliqua sanari non posse, methodus trunca et imperfecta esto. Qua–

„ morbis contingit, ut nempe sanati hoc vel illo remedio dicantur, quibus sub usu eiusdem id solum fortuna obtigit, ut non morerentur, hinc intempestivae curationum laudes explicari possunt. “

propter expertissimos collegas appello, ut circumspiciant; annon sua eruditio vel ingenuitas, aliud suppeditet artificium; quo corpora, quae sanari non posse explanavi, sospitari queant.

Huc usque rationem curandi propositam, aliis rationibus antecellere puto; etsi enim omnia pharmaca, praesertim purgantia, omnésque curationes ab auctoribus laudatas ipse non tentavi nihilo tamen minus variarum curationum eventa observavi. In facienda medicina, omnia ipse periclitari supervacuum duco; alios interdum artifices eorumque curationum eventus observare abunde est.

De nuce vomica.

Hoc venenum prisco tempore contra colicam febresque intermittentes adhibitum, dysenteriae praesentissimum esse auxilium nostris temporibus relatum legimus. Postquam perillustris Hufeland excellentes huius pharmaci virtutes in Germania primus promulgaverat, subinde mihi proposueram novum istud tentare auxilium. Ut vero difficile est insuetis armis pugnare, ita molestum, novum adhibere pharmacum, praesertim cum morbus est periculosus. Rationes praeterea curandi, quae ex superiore Germania nobis proponuntur, temere sequi non iuvat, siquidem hic locorum maiores medicamentorum quantitates non adhiberi debent; quod non ego solus expertus sum, sed quod collegis meis et horum quidem ingeniosissimis satis gnarum.

In morbo aliquo populari novum medicamentum tentabundus, experimentorum ope in universum aptam me-

dicamenti quantitatem eruere debet, quam deinde pro ratione corporis vel morbi ferociae augere vel minuere possit. Id vero facile non est, praesertim si medicus extra oppidum medicinam faciens, aegrum oppidanum, oborta aliqua passione, extemplo invisere nequit. Si vero lues, postquam caput extulit, latius protinus vagatur, et perniciosa evadit, experimentum non molestum solum est, sed etiam periculosum. His perpensis, nucem vomicam tentare distuli, donec morbus levioris notae et minus popularis tentamenti daret mihi facultatem. Hac exeunte aestate anni 1804, dysenteria talis levicula, tam in oppido nostro quam in pago Weeze et in vicis Wissensibus quibusdam apparebat. Toto hoc anno febrium nervicarum leve tantum vidi vestigium; febres contra intermittentes, toto hoc exeunte decennio in singulis tantum hominibus quandoque observatae, ipso hoc anno nusquam non fuere. Parum tamen pertinaces compendiosa curatione profligare potui. Sub initio mensis Junii, duos dysentericos curavi, et quidem unam mulierem nono graviditatis mense, cui partus instaret. Cum vero morbus pertinax non esset, brevi ante partum convaluit.

Mense Septembris et Octobris coelum fuit perquam mutabile, et diarrhoeae apparuere parum pertinaces, cum ipsa dysenteria, quae tamen hoc anno popularis non facta est, nam viginti tantum aegros curavi. Nullam haec dysenteria dabat contagiosae indolis suspicionem. Diarrhoeae aquosae vel sine dolore vel torminales frequentiores erant.

Quod vero attinet ad dysenteriam, haec aliis notis stipata non erat ac superioribus annis; in eo tantum ma-

nifesta erat differentia, quod breviori tempore et minoribus opii quantitatibus sanabatur; siquidem quinquaginta opii guttae idem praestitere, quod vix centum et plures in morbis capite primo descriptis.

Extractum proinde nucis vomicae, observatis omnibus regulis a Perill. Hufeland propositis praeparari curavi. Primo ad arcularium quendam robustum et speciosi habitus vocabar. Duos circiter dies (quod mihi narrabat) sensum potius incommodi quam doloris circa umbilicum animadverterat. Alvi fluor secundo die ortus et per noctem auctus, aegrum decies desurgere coëgerat. Altero mane sanguinem in matula observans opem meam implorat. Cum aegrum accessi, lingua sua erat alba, sitis aucta, pulsus satis plenus et creber, deiectionum numerus mediocris, decies enim, quod narrabat, eadem nocte deiecerat, et stercore retento, mucus virgis cruentis mixtus, cum modico tenesmo descendebat. — Dedi ei solutionem gummi Tragacanthae sex unciarum, admixtis decem granis extracti nucis vomicae, omnique secunda hora duo cochlearia sumere praecepi. Lecto eum addixi, et ceteroquin vitae rationem capite IV. descriptam observare suasi. Eiusdem diei vespera aegrum accedens, cum maximo meo gaudio accepi, se ter tantum toto die desedisse. Deiectiones erant mucosae et cruentae, praeterea aeger fortiter sudabat, et pulsus erat plenus et frequens. Secundo die eum invisens audivi, se semel tantum noctu deiecisse, stercusque sine cruore et muco descendisse. Pulsus frequentiam et plenitudinem deposuerat, et aeger satis bene se habebat. Eodem die adhuc semel pultem

stercorosam deiecit, sequente nocte bene dormivit, et quatuor dierum spatio perfecte convaluit.

Haec dysenteria levioris est notae, siquidem intestinum rectum solum affectum fuit, et ne vehementer quidem. Intestinum tenue consensu nervorum ad motum deorsum versus pauxillum incitatum, composita irritatione intestini recti, protinus de motu nimio remisit.

Paulo post ad uxorem fabri materiarii cuiusdam vocabar, quam olim a dysenteria liberaveram. Intestina sua erant parum irritabilia, et quanquam se ipsam debilem semper praedicat, nihilo tamen minus satis viriata est, quippe quae olim ex dysenteria brevi tempore feliciter emersit. Modo pulsus erat frequens, sitis magna, deiectiones numerosiores quam in arculario, cuius historiam narravi. Cruorem vero non deiecit, sed materia mucosa aquosa subsidentibus ramentis albicantibus, cum ventris dolore et modico tenesmo descendebat. Dedi ei mixturam supra memoratam. Primo eam retinuit, deinde vomitu reddidit, et deiectionum numerum parum imminutum conspexi. Auxi proinde extracti quantitatem ad grana quindecim usque, et totidem calcis Bismuthi adieci. Cessante vomitu, deiectionum numerus minor quoque factus est. Cum tamen aegra crebrius adhuc deiiceret, quam mihi placeret, nolui eam diutius experimento trahere, quae pro morbi natura brevi convalescere posset. Adieci proinde potioni ultimae, guttas quindecim tincturae opii, quo protinus alvum compressi, aegramque paucis diebus restitui.

Deinde ad vetulam quandam octogenariam vigorosam, morbo eiusdem notae affectam vocatus, quindecim protinus extracti nucis vomicae grana, unciis sex aquae soluta, propinabam, et quia vomitus aderat, calcem Bismuthi adiiciebam. Deiectionum numerum decrescere observavi, sed non tantum, quantum necessitas id postulare videbatur. Auxi itaque extractum ad scrupulum unum, et quia vomitus cessaverat, Bismuthi calcem non adieci, visurus, utrum extractum solum, ad tranquillandum ventriculum sufficeret. Huius tamen potionis singula hora unum propinavi cochlear, ne scilicet nimis magnam quantitatem una ingererem. Post meridiem id praescripseram; altero mane vocatus eam invisi, et notarium Caesareum offendi testamentum scripturum. Matercula crebrius non deiiciens quidem, multum vomuerat, et maxime debilis mortem instare putabat. Iam quidem ad perficiendum experimentum, calcem Bismuthi potioni adiicere debuissem; sed quia aegram, oppidum exiturus, ante vesperam invisere non potui, tutius videbatur, potionem cuius virtutem iam exploratam haberem, propinare. Dabam proinde solutionem quindecim granorum extracti nucis vomicae cum totidem guttis opii et calcis Bismuthi granis. Hac potione non solum vomitum sed etiam deiectiones protinus compescui, et aegra paucis diebus convaluit.

Omnes casus seorsim narrare taediosum foret lectori, quapropter id, quod ulteriora experimenta me docuerunt, brevibus complectar verbis. In dysenteria quindecim grana extracti nucis vomicae, ad comprimendam alvum

non satis efficacia deprehendi; quindecim ergo guttas tincturae opii huic quantitati adieci, et hoc modo omnes meam opem implorantes paucis diebus sanavi. Tres mulieres octogenariae in aegrorum numero fuerunt, quas tamen perinde feliciter hac ratione restitui. Cum vero opium exigua tali quantitate ad comprimendam alvum omnino non sufficiat, palam est, nucem vomicam satis magna efficacia pollere.

Melius omnino fuisset, si ubique propinando extractum nucis vomicae immixtum, suam virtutem et necessarias quantitates exploravissem; sed taediosum mihi erat experimento aliquem trahere. In diarrhoeis torminalibus, quae respectu tantum vehementiae irritationis intestinalis a dysenteria discrepant, extractum immixtum subinde optimo cum successu adhibui. Quandoque, ubi extractum alvum non festinanter satis comprimebat, opium purum dedi, exploraturus efficaciae rationem inter opium et nucem vomicam intercedentem. Talis mulieri solutionem quindecim granorum extracti frustra propinavi, deinde adieci quindecim guttas tincturae opii; hoc quoque auxilio parum proficiente, abstinui ab extracto, et eandem aquae quantitatem cum guttis sexaginta opii commixtam propinavi, quo factum est, ut alvum extemplo comprimerem, aegraque convaleret. Talis viro eandem potionem extracti immixti dabam, deiectionum numerus ita minuebatur, ut una tantum de die sequeretur. Singula tamen hac quatuor dies aquosa manente, vir morae impatiens me interrogabat; annon a futili tali diarrhoea se possem liberare? Abstinui ab ex-

tracto, et grana quatuor opii in forma pulveris die dedi. Ex eo, deiectione non amplius insecuta, tertio stercora coacta descendere. Omnibus rite perpensis, talis fere ratio inter opii et nucis vomicae efficaciam statuenda videtur; quod grana decem extracti, guttas triginta tincturae opii secundum novum dispensatorium Borussicum praeparatae aequant.

Nemo proinde mirabitur, Perill. Hufeland hac quantitate dysenteriam feliciter sanasse; sunt enim scriptores, qui dysenteriam aequali, saltem non multo maiore opii quantitate sanavere; imo ipse ego, ineunte aestate dysenterias curavi, in quibus talis opii quantitas secundo morbi die alvum ita constiparet, ut vomitus oriretur.

Nullus quoque dubito, quin hoc autumno potione quindecim granorum extracti aegros meos sanare potuissem, si tempori aliquid committere voluissem. Id vero nolui, quoniam animus mihi fuit explorare, utrum in gravi aliquo morbo nux vomica praesentissimum esset auxilium; tenui enim, medicamentum a quo in graviore morbo aliquid sperandum, leviorem extemplo levare, et brevissimo spatio sanare debere. In universum experimentorum meorum cardo fuit, rationem efficaciae inter nucem vomicam et opium explorare. Hac enim explorata, nucem vomicam in quavis alia lue cum maiori certitudine adhibere potero. Ad hunc proinde finem collimans, in uno eodemque corpore nunc nucem vomicam immixtam, nunc cum opio mixtam, nunc opium purum propinavi.

At si de pharmaci adversus dysenteriam virtute sermo est, primo inquirendum, utrum efficientia, qua alvum comprimit, efficientiae, qua reliquam corporis oeconomiam, praesertim cerebrum invadit, praevaleat. Perill. Hufeland, vir admodum ingeniosus, istuc pensi habuit, proposuit enim nucem vomicam cerebrum parum afficere. Idem et ego observavi, nam non grana decem solum, cerebrum nihil turbarunt, sed ne quindecim quidem, adiectis adhuc quindecim guttis tincturae opii. Cum vero dysenterici, quibus hoc anno opem tuli, nimis viriati essent, morbique diuturnitas nimis brevis, quam ut talis quantitas brevi tali tempore adhibita, cerebrum turbare valuisset, ulterius vero quantitatem augere mihi nimis molestum videretur, compendiosam ad diiudicandam nucis vomicae virtutem legi viam.

Si nempe nux vomica cerebrum parum adoriatur, in illis corporibus ista praerogativa se manifestabit, quorum vis vitalis admodum debilis, quorum proinde cerebrum parvis opii quantitatibus evidenter afficitur. Si nux vomica, modica quantitate his corporibus cerebrum non adoritur, in aliis duplo et triplo maiori quantitate tuto adhiberi poterit. Haec mecum computans invocor a virgine, quam subinde curavi, cuius proinde constitutionem probe perspectam habeo. Scio, triginta guttas tincturae opii intra diem noctemque propinatas cerebrum ei evidenter afficere. Huic virgini, modo torminali diarrhoea laboranti praescripsi grana decem extracti nucis vomicae in unciis sex aquae viscosae soluta, huiusque potionis singula hora unum cochlear capere praecepi. Primo die

satis bene se habuit virgo, secundo autem vertiginem sensit, et non procul abfuit, quin animo linqueretur, quod quidem taedium perinde ex opio ei accidere consuevit. Assumta naphtha vitrioli evanuit incommodum, et deinde, cum neque tormina neque alvi fluor urgerent, medicinae usurpationem intercapedinavi, et postea minore quantitate continuavi. Ex hoc casu perspectum habeo, nucem vomicam perinde ac opium cerebrum afficere. Alii virgini eandem potionem contra levem alvi fluorem dedi. Haec conquesta est, se singularem capitis affectionem sentire, perinde ac si ebria esset. Cum vero eius constitutio mihi non aeque perspecta sit ac alterius, ista quoque accidentia parum lucis rei affundere potest.

Quae de nuce vomica proposui, trunca utique sunt. Non inutile tamen videtur, meas observationes imperfectas expertissimis collegis proponere, non ut inde quidquam addiscant, sed ut eo commoveantur, data occasione accuratioribus experimentis pharmaci virtutes perpendere. Praecipuum tentamentorum momentum sit investigare, utrum nux vomica comprimendo alvum, cerebrum relinquamque corporis oeconomiam minori vi afficiat atque opium. Quo id compendio inveniatur, experimenta grassante lue perniciosiore in istis corporibus instituenda sunt, quorum vis vitalis infirma et intestini irritabilitas magna. Si his corporibus alvus citra omnem, vel saltem citra gravem cerebri reliquaeque oeconomiae turbationem comprimi potest, nux vomica profecto digna est, quae opio anteponatur. Tunc enim in desperatissimis casibus, ubi in festinanti auxilio unica salus, alvi com-

pressio a natura extorqueri, et aeger proinde servari poterit. (*) Unum adhuc monendum habeo. Interdum occurrunt mulieres spasmis obnoxiae, quarum corpora ita instructa sunt, ut communes naturae leges vix sequi videantur. Hodie contra spasmos optimo cum successu propinabis medicamentum aliquod, et inexpertus tibi persuadebis, optimum omnium malorum invenisse panacen. Cras idem dabis, et nihil proficies; quid? quod passionem augebis. Perendie iuvabit, quod heri, vel quod nudius tertius, quartus, quintusve inefficax fuerat. Uti in his corporibus passiones citra rationem evidentem auxilio aliquo non solum non mitigantur, sed exasperantur, sic prudentis est medici, aliud et aliud tentare auxilium, siquidem auxilii ipsa mutatio his corporibus subinde sospitalis est.

Tales quidem dysentericas raro curavi; memini tamen virginis, quam tertio morbi die, alvo mediocriter tantum

---

(*) Excellentiss. *Weber* observavit, extractum nucis vomicae nullum aegris attulisse levamen, imo plurimis passiones exasperasse Librum vero non legi, sed tantum eius epitomen in archivo medico, quod edit E. Horn. Titulus est: *Einige Erfahrungen über die Behandlung der jetzigen Ruhrepidemie, vom Prof. Weber, 1798. Kiel in der neuen akademischen Buchhandlung.* Hic notari meretur, dysenteriam suapte natura, neglecto auxilio, vel optimo etiam medicamine nimis parca manu propinato, in horam exacerbari. Talem exasperationem multoties dato opio observavi, aegris interea eam opio e vestigio imputare non dubitantibus. Sed dysenteria est morbus, qui vel in melius mutatur, vel in peius, in eodem statu diu saltem nunquam subsistit. Optimum proinde medicamentum parciter nimis pro luis indole datum, non quidem morbum exasperat, sed cum suapte natura exasperari tantum sinit.

fluente, spastica ventris inflatio cum singultu subito infestaret. Interdum etiam citra voluntatem ridere coacta, non mediocrem adstantibus incussit timorem. Opium passiones istas evidenter exasperabat, imo pulsum faciebat admodum tardum. Cum casus levioris esset notae, neque periculum in mora, opio seposito, liquorem cornu cervi succinatum cum liquore anodino propinavi, quo factum est, ut istae turbae silerent. Si vero haec virgo, morbo atrociore laborasset, curatio fuisset perquam difficilis. Continua enim opii adhibitio, distentionem nervorum auctura fuisset, concessa vero intercapedo, alvi fluorem. Modo quidem toties sumendi opii intercapedinem facere potui, quoties mihi placuit. Tali proinde casu, ubi opium nervorum distentionem citra evidentem rationem auget, non mediocre est solatium, aliud in promtu habere adiumentum spectatae virtutis, quod non solum spasmata lenire valeat, sed ad ipsam etiam alvum sistendam conducat. Prudentis saltem est medici, tali casu nucem vomicam adhibere. Tunc temporis magni libenter eam comparassem, si eam habere potuissem; eo usque autem a medicis in usum non vocata, genuina non in officina prostabat, sed tantum talis, qualis adversus mures adhibetur, quem pulverem foedum puellae dare nolui.

Perillustris Hufeland alias adhuc extollit pharmaci praerogativas. Pulsum, inquit, non accelerat, quemadmodum opium solet. Haec vero praerogativa tanti mihi non videtur momenti. In leviore irritatione intestinorum, cum pulsus parum est acceleratus, opium hunc evidenter accelerat; in graviore autem, ubi pulsus suapte natura

est celer, opium celeritati parum vel omnino nihil addit, sed arteriam tantum reddit pleniorem, quam tamen, cum suapte natura est plena, perinde pleniorem non facit. Quando opium irritationem intestinorum tranquillavit, sub ipsa sui usurpatione pulsus a celeritate remittit, imo plenitudinem deponit. Id tali tempore manifestum est, cum irritationis dysentericae diuturnitas est exigua; quemadmodum enim capite IV. id explanavi, pulsus celeritas et febris, non ab intentione solum irritationis dysentericae, sed quoque ab extentione pendet. Quando proinde extentio est longior, pulsus sub opii usurpatione celeritatem serius deponit, ocius vero, quando breve est irritationis duramentum. Quapropter efficacia opii, qua pulsum accelerat, in curanda dysenteria parum est timenda.

Altera nucis vomicae praerogativa est, quod sudorem non elicit. Ego autem id praerogativam non temere nominarim. In arculario, cuius historiam narravi, nux vomica sola ad curandam dysenteriam sufficiebat, idem autem fortiter desudabat. In reliquis, adiecta exigua opii quantitate deiectiones protinus minuebantur. An fortasse exigua ista opii quantitas, praesertim augendo cutis exhalationem sospitalis fuerit? — Aucta saltem nucis vomicae quantitas idem non praestabat, quod guttae aliquot tincturae opii cum nuce vomica remixtae. Quoniam autem capite IV. de sudore, et quatenus sit sospitalis, prolixe satis disputavimus, modo hanc materiam ulterius ventilare supersedeo.

Tertia praerogativa, est vis anthelminthica. Magna pharmaci amaritudo talem virtutem praesumere suadet.

Prostant interea medicamenta; quae etsi magna amaritie scatent, vermibus tamen parum infensa sunt, saltem aliquot dies usurpata eos non expellunt. Tanacetum et semen cinae tanta amaritate non pollent ac trifolium fibrinum, hoc tamen multo potentius vermes expellunt. Quapropter ex solo amarore vis anthelminthica diiudicari nequit. An vero ex vermibus vigente dysenteria descendentibus? Istuc non temere contenderim. Dysenteria gravis, suapte natura vermibus infensa videtur; descendunt enim copiose, et subinde marcidi et enecti. (*) Nescio, an humores alieni irritatione dysenterica nati eis sint adversi, an motus intestini auctus eos expellat. Virtutem tamen anthelminthicam nucis vomicae non esse admodum magnam sequens casus docere videtur. Puellae speciosae et coloratae dysenteria leviore laboranti, quinque integros dies nucem vomicam propinaveram. Sanata elapsis duobus mensibus alvi fluorem ex perfrictione contraxit, et aliquot lumbrici descendere. Id cum mihi retulit, dedi ei medicamenta anthelminthica, et paulatim triginta sex lumbricos hac ratione expelli. Supervacuum tamen foret varias nucis vomicae examinare praerogativas, optima nimirum est, quod sedando alvum sistit. Ego saltem omnia alia medicamenta ab auctoribus ad hunc finem laudata susque deque habeo, quippe quae utique futilia deprehenderim; nucem vero vomicam, etsi non credo se un-

---

(*) Idem testatur *Matthäi* (über die epidemische Ruhr) pag. 110. *Fr. Hoffmann* in dysenteria anni 1719 lumbricos descendentes infaustum exhibuisse omen refert. *Degner* contra inquit: „Multi aegrorum lumbricos vel per superiora vel per inferiora „reddebant nullo malo praesagio."

quam opium obscuraturam, magni facio, atque expertissimis meis collegis optima fide deiero, eam in curanda dysenteria, non imaginaria virtute, sed vera et spectata pollere.

CAP. VII.

Observationes circa infantes, mulieres menstruantes, gravidas et lactantes; item circa pulmonarios.

Quanquam ista, quae hucusque proposui, in omnes aegros competunt, est tamen de infantibus observatio quaedam necessaria. Primo monendum est, difficilius esse iudicium circa eorum vim vitalem. Plerumque debiles audiunt, id tamen falsum mihi videtur; gravissimos enim morbos feliciter subinde eluctantur, et ubi rite curantur, pauci dysenteriae succumbunt.

Vim suam vitalem diiudicamus sciscitando, utrum ex robustis parentibus sint nati, an ex debilibus; infirmi enim parentes infirmam produnt progeniem. Peius est, si ambo sunt debiles, aliquanto melius, si alteruter tantum: hoc casu oportet videre, utri maxime similis sit soboles; si exempli gratia pater admodum infirmus est, proles, quae corporis habitu vultuque patrem simulat, plerumque infirma quoque est. Id vero dictum non esto, ac si perpetuum sit; multae vero sunt res, quae perpetuae non sunt, quas tamen pensi habere ad faciendam medicinam egregie conducit. Varios saltem novi casus, qui id quod proposui, evidenter docent, quos tamen enarrare supervacuum et lectori taediosum puto.

Deindè non mediocrem lucem affundunt morbi, quos infans olim feliciter superavit; ex morbis enim gravibus feliciter victis, in infantibus aeque ac in adultis, virium fontem inexhaustum suspicari licet, modo infans post talem labem perfecte non precario sanitati sit restitutus.

Externus corporis habitus ad diiudicandam vim vitalem parum facit; siquidem floridi et pleni subinde levi aliqua noxa rapiuntur, elabentibus interim macilentis et decoloribus.

Quod vero attinet ad intestini irritabilitatem, haec in universum infantibus maior esse consuevit ac adultis. In singulis corporibus tamen multum discrepat, quam diversitatem ex iisdem signis, quos capite VII. proposuimus, suspicare licet.

De dandis opii quantitatibus nihil dicam, cum in variis medicinae compendiis tabellae prostent, ex quibus quisque quantitatis rationes unicuique aetati competentes perspicere possit. Id tantum monendum habeo, opium non solum pro ratione annorum, sed etiam pro ratione morbi corporisque constitutionis dari debere; sunt nimirum infantes quatuor vel quinque annorum, qui maiorem opii quantitatem ferant, quam infirmiores adulti. Uti coeca audacia infantibus est pernicialis, ita non minus anxia medici scrupulositas.

Apprime necesse est, medicus sub initio morbi aptam opii quantitatem adhibeat; fractis enim viribus et exhausto corpore, nulla quantitas apta dici potest. Ubi proinde aliquis pueri constitutionem non satis perspectam habet,

tutius est cum mediocri opii quantitate curationem auspicari, et deinde quantitatem pro re nata festinanter augere; festinanter inquam, nam augmentando quantitatem tempus terere, absonum est, quoniam morbus in horam gliscit, et tempus curationi idoneum irreparabile ruit. Ad felicem proinde curationem requiritur, ut artifex infantem crebrius de die invisat; hoc tantum pacto primis morbi diebus aptam opii quantitatem invenire poterit.

Capite V. proposui: aegros interdum aciditate intestinorum laborare, morbum eo non solum exacerbari, sed alvum maximis etiam opii quantitatibus comprimi non posse. Haec observatio maioris adhuc est momenti medico infantario, siquidem tenellae aetati aciditas admodum est familiaris, unde difficilior morbi curatio. Quisquis magnis opii quantitatibus alvi compressionem tentat, vel frustra insudabit operi, vel saltem timendum, ne infans compressa alvo, distentionem nervorum contrahat. Ubi vero his passionibus olim fuit obnoxius, maius oritur periculum. Tutius itaque est, in initio statim sal lixivium opio mixtum dare, reserata autem intestini constrictione, conchas praeparatas, vel lapides cancrorum. Ubi vero magnam acidi quantitatem suspicamur, tutius videtur, reserata intestini constrictione opii quantitatem pauxillum minuere, ne acrimoniae, absorbentibus nondum deletae liberior descensus praepropere nimis intercipiatur. Quisquis vero tali casu opium utique seponere, et acrimoniam eliminare solum et corrigere vellet, is profecto in aëre piscaretur. Ipsa irritatio dysenterica acrimoniam

in horas auget, quapropter prudentis est medici, opio intestini turbas sedare, et hac ratione generationem acidi praecavere. Experientia ipsum Sylvium, qui tantum de acido fabulatur, docuerat, opium ad praecavendam aciditatem praesentissimum esse auxilium. Hanc observationem utique veram, suo more explicans inquit: » Opium » amarore suo pituitam incidit, humores acidos, austeros » et salsos temperat. »

Plerumque stercus infantium, praesertim tenellorum est viride, anumque corrodit, adhibita apta curatione, paulatim flavescit, vel primo cinereum excernitur, et deinde paulatim colorem naturalem recipit.

Tandem id, quod circa adultos monui, circa infantes quoque monendum habeo: quantitas nempe absorbentium quantitatem praesentem acidi suspicabilem quodammodo aequare debet, alias incassum utique adhibentur.

In infantibus quandoque neque opio neque absorbentibus alvi fluor compesci potest; ratio fere talis est. Continua deiectio mucum intestinorum parietes investientem abripit, unde nervi hoc naturali tegmine orbati, tantam sensibilitatem contrahunt, ut tum medicamenta, tum alimenta vehementer eos proritent, quare neutri ulla in intestino conceditur mora. Hoc casu praesentissimum est auxilium, cremore aliquo mucum in intestino canale supplere, nervosque hac ratione a subitanea et ingrata ingestorum impulsione vindicare. Optima mihi ád hunc scopum videtur pulpa radicis saleb cum aqua aliqua destillata et pauxillo sacchari mixta. Cum vero omnibus

infantibus idem medicamentum non arrideat, alia quoque in auxilium vocari possunt, quale est gummi arabicum vel tragacanthae. Artifex ad hunc finem collimans eo tantum videre debet, ut viscosa magna satis quantitate ingerantur. Talis quantitas videtur aptissima, qua totus intestinus canalis illiniatur, ut in ipsis foriis viscum appareat. Hac ratione interdum alvi fluorem compescui, qui neque opio, neque aliis pharmacis cesserat. Prudentis quoque est medici, infantibus dysentericis protinus medicamenta viscosa dare, antequam ipsa necessitas id postulet, melius enim videtur muci intestinalis abstersionem praecavere, quam abstersum supplere.

Viscosa in adultis certe eundem laudatum effectum praestatura essent, si magna satis quantitate assumerentur. Tali quidem quantitate, qua plerumque dantur, in ventriculo subitaneam medicamentorum impulsionem praecavere possunt, vix autem totum intestinorum canalem ita investient, ut ad sedandos nervos quidquam facere queant. Peripheria canalis in homine adulto nimis magna est, quam quae uncia dimidia vel integra gummi arabici, drachmis duabus radicis saleb, vel granis aliquot gummi tragacanthae repleri queat, unde etiam a parvis his portionibus nihil eximii sperandum. Si vero ista medicamenta tali quantitate assumerentur, ut integra canalis peripheria visco obducereter, tunc certe optimus effectus exspectandus esset, siquidem nervi hoc tegumento muniti ab omni ingestorum subitanea impulsione defenderentur. (*)

(*) De hac re legi meretur liber Christ. Ludw. Hoffmanni, cui titulus: *Vom Scharbock, von der Lustseuche, von der Vor-*

Non infitior tamen, plurimos viscosa maxime fastidire; atque subinde impossibile esse, ea magna satis quantitate ingerere.

De tenesmo cap. V. disputavimus. Inter infantes haec passio vulgatissima esse consuevit. In adultis quam plurimis supervacuum est contra hanc accidentiam quidquam moliri; in infantibus contra maxime necessarium, tempori auxilium adhibere, et non cunctari, donec anus prociderit. Optimum est, infanti aliquoties die clysterem ex tinctura opii inicere, et hac ratione tum vehementem tenesmum tum ani procidentiam praecavere. Quibus vero anus ex aciditate saucius, his alternis vicibus, nunc clysteres ex oleo tepido, nunc ex opio conducunt.

Balneum tepidum infantibus praesertim est sospitale. Irritatio dysenterica vehementior, in tenellis corporibus graviora utique taedia gignere potest ac in adultis, nervorum scilicet distentionem. Quapropter consultius est, plura auxilia simul adhibere, quam unico fidere. Ubi irritatio dysenterica vehemens urget, parvulus aliquoties die in solium immittendus est, et ab hoc auxilio maximum levamen exspectandum, praesertim si infans convulsionibus olim fuit obnoxius, siquidem istuc taedium tali curatione optime praecavetur.

De vitanda infrigidatione capite IV. disputavimus. Ista observatio circa infantes maxime est necessaria, quippe qui sibi ipsi consulere nequeant. Oportet mater

---

hütung der Pocken im Angesichte, von der Ruhr, und einigen besondern Hülfsmitteln etc. pag. 289.

vel cunaria diligenter ad parvulos attendat, ne corpus denudent, morbique exasperationem inducant. Cautelas circa hanc rem capite III. proposui.

De cibo et potu eaedem valent regulae, quas capite IV. tradidi, habita semper ratione aetatis, constitutionis et consuetudinis.

Cessante alvi fluore, infantes plerumque magnam spiritus copiam in intestinis contrahunt, unde dolores et somnus turbatus. Fomenta aromatica ventri imposita hoc casu conducunt, nec non aqua foeniculi, menthae piperitae aliaque aromatica. Cati tamen est medici, ista auxilia tempori adhibere, antequam taedium ad summum pervenit. Caetera, quae de circumcidenda opii quantitate, decrescente morbo proposui, de infantibus quoque, habita ratione aetatis dicta sunto. Difficilius vero est, in his iustum observare quantitatis temperamentum, quoniam artifex eorum verbis parum fidere, sed tantum ex notis visibilibus iudicium petere potest.

De mulieribus menstruantibus.

Subinde accidit, ut mulieres eodem tempore dysenteria laborent, quo menses incidant. Multae nulla omnino incommoda hoc termino sentiunt, alias vero graves ventris et lumborum dolores infestant. Hoc casu iuvat menstruationem prolicere fomentis emollientibus ventri impositis, neque alienum est, pedes in aquam calidam subinde immittere, medicamentaque propinare, quae adversus passionem hystericam laudantur, quale est castoreum, liquor cornu cervi, aliaque, habita tamen semper ratione dy-

senteriae; omnia enim auxilia, quae intestina proritant, aliena sunto. Vix autem unquam omnibus etiam adhibitis auxiliis menstruatio legitimé absolvitur; plerumque est parum regularis, parca, spatiumque non tenet suetum. Hucusque tamen notabile detrimentum inde non observavi; fortasse ipse alvi fluor istam sanguinis emanationem quoddammodo supplet.

De mulieribus gravidis.

Secundum theoriam facile quis crediderit, mulierem gravidam ex dysenteria maxime periclitari: vehemens, dixerit, intestini irritatio, quae ipsos renes, vesicam, fistulamque urinae adoritur, uterumne contiguum afficiat? — Ita quidem videtur, sed experientia nos docuit, irritationem dysentericam non facile ad uterum tranferri. Mulieres omnium graviditatis mensium passim curavi, nullam harum tamen novi, quae partum perdidit.

Quod si quis credat, ipsam curationem componendo intestinorum turbas abortum praecavisse, respondeo: intestini turbae optima curatione non ita celeriter componuntur, ut ad uterum non transferri, et hoc organon in motum abnormem rapere non possint. Praeterea Degner, qui luem perniciosam Neomagi grassantem graphice descripsit, perinde observavit, mulieres ex dysenteria partum non facile perdere. (*) Opium tamen non adhibuit;

(*) „Inter complures gravidas, quas tractavi, duas tantum „offendi foeminas, quae sexto circiter graviditatis mense foetus „vivos, licet brevi tamen postea morientes abortierunt. „ *Degner.*

quare palam est, curationem sedantem, mulieres non ab abortu vindicare, sed dysenteriam potius suapte natura uterum non afficere, gravidis proinde exitiosam non esse.

Circa curationem ergo peculiaris non est observatio, utpote cum gravidae eadem ratione curentur ac alia corpora. Unum tamen monendum habeo. Si levior dysenteria mulierem octavo vel nono graviditatis mense infestat, tunc, si alvi fluor morbum non praecessit, tutum est reserata intestini recti constrictione opii quantitatem pauxillum circumcidere, et hac ratione stercoris descensum secundare. Quoniam enim intestina in spatio satis angusto sunt coarctata, ex stercoris retentione anxietates oriuntur, quae, etsi parum perniciabiles, taediosae tamen facile evitantur. Ubi vero dysenteria gravior, et intestini irritabilitas naturalis magna, ista cautela utique supervacua est, siquidem hoc casu artifex alvi fluorem festinanter sistere nequit.

De puerperis nihil proponam, quoniam duas tantum curavi et restitui; numerus tamen nimis exiguus est, quam ut inde quasdam regulas deducere possim.

De lactantibus.

Quaeritur, utrum mulier dysenterica infantem lactare, an depellere debeat. Ex mea quidem sententia, ubi

---

Hargens (Journal der pract. Heilkunde von Hufeland, Tomo VII.) dicit, dysenteriam gravidis fuisse periculosam, variisque abortum fecisse.

Matthäi contra (über die epidemische Ruhr) abortum ex dysenteria non observavit.

mulier dives morbum contrahit, melius est nutricem conducere. De lacte hoc casu nihil timendum, quippe quod ipso morbo minuatur, et citra incommodum evanescat. Ubi vero mulieris res domestica est mediocris, tutius videtur infantem non depellere; depulsus enim, pulte deinde nutritur, acidum contrahit in intestinis, magnamque spiritus copiam, unde somnus turbatus, vagitus continuus aliaeque incommoditates. Hac ratione mulier revalescens, quae neque nutricem, neque cunariam habet, ipsa a somno arcetur, et modica lactatio tantum revalescentem laedere nequit, quam somnus interruptus et continuae vigiliae. In ipso morbo virium consumtio a lactis detractione non timenda est, siquidem in uberibus non multum prostat, imo in gravissimo morbo utique evanescit. Ego aliquoties infantes lactare concessi, et nulla inde taedia observavi. Hac ratione anno 1800 uxorem viri honesti, argentarii inter cives satis noti sanavi, quae in hunc usque diem una cum infante optima fruitur valetudine. (*)

De contagione parum timendum, minor enim tenellis esse videtur ad hunc morbum opportunitas, quam natu maioribus. Praeterea depulsi ab uberibus et pulte nutriti, subinde ex insueto victu alvi fluorem contrahunt, qui facilius adhuc dysenteriae ansam praebere potest.

(*) *Degner* pag. 29. ex lactatione nullam infanti noxam accidisse observavit. *Fr. Geach* (Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte) idem testatur. Titulus libri est: *Some Observations on the present epidemical Dysentery, by Fr. Geach. Lond.* 1781.

De pulmonariis.

Interdum accidit, ut dysenteria talia corpora infestet, quae ulcera in pulmonibus fovent; his dysenteria mortifera esse consuevit. Differt autem, utrum vis vitalis horum corporum sit debilis an firma. Debiles illico morbo succumbunt, viriati diu satis trahunt. In his enim alvi fluor quandoque sisti nequit, sed in diarrhoeam chronicam transit. Cognoscitur transitus potissimum ex lingua quippe quae in dysenteria plerumque alba est, in phthisi vero pura et subinde rubra. Ubi proinde alvo pertinaciter fluente, pulsus debilis et frequens manet, tussis augetur, et lingua tersa evadit, aeger paulatim consumitur.

Quisquis cum phthisico conclamato in uno lecto dormivit, et in angusta diaeta ad eius decessum usque cum eo vixit, is, praesertim ubi tussiculam iam contraxit, maxime ex dysenteria periclitatur. Febris enim dysenterica paulatim in hecticam transire potest, et tunc quidem pulsus post victum morbum frequens et debilis manet. Talia autem corpora ex aliis etiam morbis et quidem ex levissimis in phthisin incidunt; dysenteria ergo hoc casu phthisin non creat, sed tantum praematurat. Oportet tamen medicus ad id diligenter attendat, quo his, victa dysenteria, medicamentis idoneis subvenire, et consumtionem irruentem avertere possit.

Plerumque inter medicinae scriptores consuevit plures adhuc circa prognostica proponere regulas; id autem facere supersedeo, quippe optima praedictio ex perspecta morbi natura atque ex variis circumstantiis curate colla-

is quaeritur. Praecedentia capita omnes passim circa praedictionem continent regulas, quas proinde repetere et conserere supervacuum foret.

Curate praeterea collegit omnia prognostica Kleinius in interprete Clinico. Non diffiteor quidem varia irrepsisse quae evidenter falsa sint. Talia sunt signa, ex quibus medicus discernere debeat, utrum morbus in intestino tenui haereat an in pleniore; variaque alia signa vel sunt utique falsa, vel multum saltem abest ut perpetua sint. Ceteroquin tamen diligenter omnia collegit Kleinius, et ea propter non cum mediocri fructu ab illis semper legetur, qui ad curandam dysenteriam sese accingant.

CAP. VIII.

De supprimenda dysenteria.

De obstaculis curationis.

In praecedentibus passim explanavi, obstacula curationem frustrantia in ipsis quandoque aegrorum corporibus esse sita: his iunguntur varia et multiplicia externa, quae providere et nosse conducit. Aliqua vel removeri vel evitari possunt, multa vero utique sunt insuperabilia. Inter obstacula curationis externa eminet hominum paupertas. Facile omnino est illis opem ferre, qui in divitiis sunt, ubi hypocaustum, cibus potusque varius, culcitae et stragula ad nutum sunt parata. Ubi vero horum nihil prostat, difficilis et taediosa est curatio.

Libera cutis exhalatio ad curationem apprime necesse est; ad eam conducunt diaeta et lectum calidum. Quid vero faciendum, si aeger in tugurio ruinoso, perflatui ubique patente habitat, si in tenui lecto stragulo levidensi tectus cubat, vel in stramine semiputrido? Quid faciendum, si frigore oborto ignis accendi nequit, quia materia deest? Ad curationem iuvat mundities, imo ad evitandam ulteriorem luis propagationem illa maxime necessaria est; quid vero faciendum, si aeger in lecto squalido, odore illutibili imbuto decumbit? Ad sanationem ducit cibus et potus idoneus; quid vero sperandum, si nihil nisi panis canicaceus et solani tubera prostant? — Nae! difficile mihi non videtur regulas circa curationem condere, sed eas ubique sequi, hoc opus, hic labor est. Equidem non miror pauperes mori, miror potius, quod lues maiorem eorum numerum non rapiat.

Illustr. Herz olim proposuit: pauperes idcirco feliciter ex febribus malignis emergere, quod aër corruptus, quo tuguria scatent, ad curationem conduceret. Observaverat nimirum expertissimus vir, pauperes omnium necessitatum inopia pressos, felicius subinde morbos eluctari ac divites; falsam vero huiusce observationis fecerat explicationem, quae etiam tunc temporis iure refutata est. Pauperes enim a cunabulis inde, multis potentiis nocentibus adsueti, tantum aegroti inde non laeduntur ac divites, et quanquam dysenteria maiorem eorum numerum absumit, ac quivis alius morbus hic locorum notus, nihilo tamen minus ex ipsa dysenteria, irruentibus insuperabilibus obstaculis feliciter subinde emergunt. Mi-

rabilia huiusce rei novi exempla, quorum tantum unum lectori narrabo, quod Cliviae medicinam faciens vidi.

In illa urbe ingens est mendicorum agmen, qui singularem vitae rationem sequuntur. Sordidi et pannosi, in dorso peram vicatim ambiunt, et a rusticis argentum, panem album, ova, lardum similiaque non quidem emendicant, sed extorquent. Rusticus liberali manu largitur, timet enim, ne nebulones a foribus reiecti, incendio repulsam ulciscantur. Vesperi subinde sex vel decem in uno vico conveniunt, villicus mensam sternit, pultemque eis apponit. Deinde pernoctant in horreo, et altero mane ientaculo assumto, alios excussuri vicos abeunt. Talis aeruscatorum familia olim me implorabat, ut vetulae, quam non ita pridem a febre putrida liberaveram, denuo opem ferrem. Illuc me conferens ante casae portam magnum audio tumultum; intrans symplegma foedum conspicio. Vetula dysenterica vieta et edentula, in miserabili sponda, non quidem stramine, sed filice viridi referta cubat, stragulo levidensi tecta. Iuxta spondam in scabello ruinoso fractus surgit cadus cruore mucoque squalidus. Mulier iuvenca bumamma, tetrico vultu vibratoque pugno vociferans, vetulae adversae minatur. Matercula contra impigre cornicans ex herbido lecto, convicia audacter rependit. — Ringor ego, et quae sit tanti belli causa percontor. Sed o Dii! filiam audio idcirco matri convicium facere, quod, quae ante aliquot menses febrem putridam in tugurium invexisset, nunc dysenteriam quoque inveheret. Singularis profecto et ridiculosa litigii ansa! — Silentium impero, omnibusque morbi circum-

stantiis percunctatis, medicamenta idonea praescribo, submurmurante interim cunno. — Schedula scripta renovatur duellum, et (o infaustum diem!) arbitrum memet partes sumere volunt. A natura mansuetus, et laevus pacificator actutum receptui cano, me surripio, et post tergum alaparum adhuc audio cottabos. Quot potestates nocentes! quot sanationis obstacula! atque feliciter tamen emersit anus.

Non tamen pauperes solum, qui stipem ostiatim rogant, sed operarii quoque egentes, multis calamitatibus aegroti premuntur. Quando recte valent, parciter satis quotidiano labore vitam sibi reperiunt; decumbentes vero vix medicinam comparare possunt, quin tenuem suam habentiam consumant, et quandoque insuper se defenerent. Omnibus vitae necessitatibus sunt orbati, imo subinde neminem habent, qui eis ministret; oportet sani vel in silva lignum colligant, vel labore panem comparent.

Deinde avaritia quoque curationis est obstaculum. Quandoque senes aegrotant, et infantes quorum res domestica tenuis, parentum mortem optant, ut eorum bonis rem suam dilapsam resarciant. Hi proinde de herciscunda potius familia quam de servando aegro cogitantes, medici praecepta male sequuntur; eius opem quaerunt, ut tantum pietatis speciem praebeant, non ut parentes restituantur.

Porro ipsa religio vel potius ipsa superstitio curationi obstat. Multoties occurrunt, qui duro labore tenuissimum victum reperiant; hi liberorum mortem optant, utpote

quorum alimonia eis nimis cara et molesta. — Ferae sunt bestiae, inquis, vix homines, quid? quod ipsis feris peiores, nam hae pullos defendunt, et ab omni noxa vindicant. — Eia! bene argumentaris, benevole lector! Sed aliam tibi proponam quaestionem. Esto, patrem te esse familias dura egestate pressum. Vir probus et dives liberorum tuorum aliquos adoptare velit. Filium tuum nutriet, docebit, in summum evehet fortunae fastigium. Filiam caste pieque educabit, et adultam laute dotatam viro honesto locabit. — Nonne religio foret tale beneficium optima fide oblatum liberis abrogare? — Ecce, similis pauperum conditio! Summum numen eis est dives et benevolus pater, cui proinde, cum ex hac terrena miseria liberos avocaverit, laeti eos devotant, neque magnam eorum conservationi impendunt operam. Nos futuram vitam speramus, pauperes inconcussi credunt, inde animi constantia. Humo cara funera condunt vix illacrymantes sepulcro, nam coelitus eis solatia scatent. Illic aethereas domos intrare sui, facieque corusca coelicolarum adsident coetui. Quid? potionibus foedis liberos a tali fortuna arcere, in his mundanis angustiis morari tentabis? Nequicquam id periclitabere; nam etsi pauperes sciant officium suum esse liberos conservare, huic officio tamen invocando medicum satisfecisse putant, caeteroquin religio eis non videtur medicatoris praecepta negligere.

Demum curationis obstaculum est hominum quorundam stupiditas. Sunt, qui quotidiano labore aerumnosissimam vitam trahant, toto anno vel rus colentes, vel in silva lignum caedentes. Hi nihil novi audiunt, nullas

ideas recipiunt. Noctu hora secunda ad laborem sese accingunt, et cadente vespera, helcio demum absoluti dormiendo feriantur. Corpora sua rigida ad quotidianum tantum et suetum opus manent mobilia, animus una occallescit, et totus homo paulatim brutescit. Hi cum aegrotant, vitam, qua nunquam fructi sunt, vilipendunt. Sacerdotis vel familiae persuasione medici opem implorantes inviti medicinam capiunt, secundo vel tertio die eam seponunt, omniaque devorant, quae palato arrident. Artem medicinalem hoc casu irritam prodiges, quare tutius talia automata propediem destitues, nisi fortasse medicantem naturam observare gestias. Subinde morbo succumbunt, quandoque iuvante natura elabuntur.

Ante aliquot annos talem observavi casum, quem, quia una egregie probat, ipsa irritatione intestinorum alienam humorum indolem in horam augeri et acriorem reddi, lectori breviter narrabo.

Agricola in hoc oppido habitans dysenteriam contraxerat, et tertio die suasu amicorum, meam opem postulabat. Vir erat valde robustus, et irritabilitas intestinorum nulla. Ceteroquin tormina ventris erant violenta, et deiectionum numerus magnus. Mane praescripsi potionem sedantem, et sequente nocte citra notabiles dolores quater tantum deiiciebat. Omnibus circumstantiis rite aestimatis, hicce homo intra decem dies sanari potuisset. Cum vero aeger admodum stupidus et plumbeus esset, omnesque notae faustum exitum celeremque sanationem pollicerentur, secundo die, postquam opem meam imploraverat, consilium suum cepit labare, et medicinam non

amplius secundum meam praescriptionem sumsit. Auctis per noctem deiectionibus, altero mane eum adhortabar, ut impigre medicinam caperet. Frustra tamen, nam ex eo die non nisi obortis torminibus vehementissimis, aliquot cochlearia sumsit, et sedatis doloribus omnino a medicina abstinuit. Ego admonitione nihil proficiens, verbis peperci, et in valido hoc corpore naturae conflictum cum atroci morbo observare constitui. Sed quantum perpessus est miserrimus! Ad tertiam usque septimanam cruor cum muco descendebat, deinde mucus viridis, tandem magna frusta instar vitri pellucida viridia et tremula. Diuturno irritamento humores intestini tantam acrimoniam contrahebant, ut ulcera in faucibus orirentur. Quinta septimana vehemens singultus aegrum tentabat, et deinde inflammatio oculi sinistri. Specifica oculo imposuit, et corneam utique opacam reddidit. Tandem in fine sextae hebdomadis paulatim convalescere cepit, luscus tamen in hunc usque diem. Toto hoc spatio, aegro subveniendi mihi non erat facultas, tantummodo adversus faucium ulcera et singultum postulanti remedia dederam. Hicce morbus suapte natura levissimus, neglecto apto auxilio gravissimus factus est. Similem fere casum apud Horstium legere memini, aeger tamen ille oborto abscessu in genu visum recuperavit, noster luscus mansit. Plurimi vero huiusce farinae ne quidem lusci emergunt, sed exstinguuntur.

Postquam supra passim obstacula curationis interna, modo externa lectori proposui, operae pretium videtur explanare, qua ratione magna eorum pars evitari queat,

omnia enim neque removeri neque evitari possunt. Ego ad hunc finem collimans morbi suppressionem optimum deprehendi auxilium.

Morbus vero supprimitur sedando intestini irritationem eo ipso stadio, quo notae quaedam praecursoriae luis futurae dant suspicionem. Morbus eo tempore suetam formam nondum induit, officium ergo medici est, praecavere, ne eam induat, vel (ut aliis verbis utar) ne levis intestinorum irritatio in veram dysenteriam transeat. Huiusce auxilii praerogativa manifesta talis fere est.

Obstacula curationis interna eo utique evitantur. Capite VI. explanavi, languidum virium fontem et magnam intestini irritabilitatem insuperabile esse curationis impedimentum. Eodem capite proposui, virium restaurationem in corpore aegroto magis minusve esse imperfectam, et quo magis valetudo a sanitate distaret, eo magis virium refectionem esse mancam. Ubi proinde infirmus aliquis, notis obortis quae dysenteriam futuram designant, opium assumit, et magna inde incommoda sentit, scilicet somnolentiam, debilitatem, aliaque taedia, vita tamen non periclitatur. Quoniam enim valetudo hoc casu tantum solum a sanitate distat, quantum minimum est, debilitas quae ei ex opio accidit, periculosa non est; vires enim detractae brevi resarciuntur, perinde ac in sanis id consuevit.

Deinde proposui: Opium curationis ergo datum hominibus debilibus primis diebus non esse perniciale, sed diuturnitate potius adhibitionis vires convellere, qua

propter a minus pertinaci dysenteria debiles opio posse liberari, a graviore nunquam. Ecce suppressionis praestantissima praerogativa! brevi spatio morbus supprimi potest, qui duplici et triplici longiore curari nequit. Opium proinde audacter adhiberi potest, siquidem breve est spatium, intra quod sui usurpatio requiritur.

Supra dixi: Irritationem totius corporis fabricae ab irritatione intestini pendere, hac vero universali irritatione detractioni humorum iuncta, vim vitalem serius ocius labare. Sub initio morbi, irritatio intestini et evacuatio est exigua; unde sequitur, universi corporis irritationem aeque notam non habere. Si ergo morbus hoc ipso stadio suffocatur, aeger illarum circumstantiarum iniquitatem subire non cogitur; quare palam est, quam maxime infirmos hac ratione posse sospitari. Quid multa? qui dysenteriam non contrahit, hunc dysenteria absumere nequit.

Haec suppressionis praerogativa, quam modo exposui, satis magni momenti videtur. Mihi saltem increbrescente lue, tristis et fere intolerabilis fuit cogitatio, omnes vitam suam servatam pervolentes, arte medicinali sanari non posse.

Uti vero obstaculum curationis internum suppressione facile evitatur, sic varia externa neque removeri neque evitari possunt. Obstaculum, quod hominum paupertas curationi obiicit, tantum ex parte circumveniri potest. Quanquam enim infrigidationis vitatio ad suppressionem requiritur, tanta vero cautela non necessa est, quam in curanda lue formata. Deinde, quia in stadio praecur-

sorio irritabilitas intestini tanta non est ac in lue formata, victus insalubris quo pauperes utuntur, illo stadio tantum non nocet, quam in dysenteria completa. Hac ratione in aprico est, dysenteriam in pauperibus facilius supprimi quam curari. Nihilominus istuc obstaculum ex parte tantum evitatur, quoniam ad suppressionem quoque cautelae quaedam circa diaetam requiruntur, quas pauperes propter omnium necessitatum egestatem observare nequeunt.

Obstaculum, quod avaritia curationi opponit, perinde ex parte tantum suppressione evitatur. Senes enim, quos infantes mori maluerint, stadio morbi praecursorio melius sibimet ipsi consulere possunt, quam deinde, cum morbus formatus eos infestat. Etsi enim dysenteria mentem non turbat, nihilo tamen minus quisque morbus universam corporis fabricam occupans, mentis vim quodammodo infringit, ut saltem consilio non aeque polleat, capiendaque medicina tantum non excubet, ac in secunda valetudine. Infitias tamen non eo, hoc obstaculum ex parte tantum evitari posse, siquidem ii, qui domestici alicuius mortem optant, sub initio morbi ex industria illi persuadent, rem non esse magni momenti, sponte cessaturam, et medicinam esse supervacuam. Quo fit, ut tali persuasione sopitus et securus, ad imminens periculum animum non advertat, donec morbus omnibus notis stipatus miserrimum obruit.

Obstaculum, quod religio vel potius superstitio curationi obiicit, suppressione minime evitari potest. Memini vetulam quandam olim dicere: Almo Deo adeo non fui

accepta, ut liberorum meorum aliquos ad regnum suum coeleste avocare voluerit; modo omnes sunt adulti, sani et salvi, sed tibi deiero, non mediocrem mihi peperere crucem. — Prima vice id audiens obstupui; deinde vero comperui, talia cogitata inter plebem esse vulgatissima. Rusticus tantum adultos filios maioris aestimat, quippe qui in colendo agro gratis ei opitulantur, et quibus peremtis servos argento conducere cogitur. Quis est, qui non videat, suppressionem huic obstaculo utique esse imparem? Plurimi, qui suos magni non faciunt, medicum certe primo morbi stadio non appellant, sed tunc demum, cum in malo res est. Hac ratione salva fama a molesta sarcina liberantur.

Demum hominum stupiditas tale est curationis obstaculum, cui suppressio nihil detrahere valeat. Is, qui cum revera aegrotavit, id magni non facit, et nequidem auxilium quaerit, multo minus imminentem morbum praecavebit. Deinde tanta est hominum quorundam tarditas ingenii, ut, si rem utique evidentem millies eis dixeris et explanaveris, tamen explicationem vel praepostere, vel omnino non intelligant. Quantam ego impendi operam praedicando suppressionem plebi! Multi consilium meum secuti sunt, multi vero me omnino non intellexere. Talis fere est stupidorum ratiocinandi modus. Interrogo decumbentem: Annon unum vel plures dies, antequam mucus et cruor cepit descendere, vel alvi fluorem, vel ventris inflationem, tormina, sensumque incommodi in ventro animadvertisti?

Respondit *aeger*: Sane quidem sensi huiusmodi quid, imo alvus liquida mihi fluxit.

Medicus: Sed quid est, quod non maturius opem meam imploraveris? tibine notum est, morbum paucis diebus posse suffocari, neminemque invitum infestare?

Aeger: Istuc novi, sed qui te potui invocare, cum nescirem, dysenteriam mihi instare?

Medicus: At sponsum perinde non habuisti, te a dysenteria immunem mansurum, et in hoc dubio tutius fuisset, oborto alvi fluore opem meam extemplo implorare.

Aeger: Sed tibi deiero, me nescivisse istas notas esse dysenteriae instantis, alias profecto te adivissem.

Medicus: Antequam me adires, prius certus esse voluisti, te reapse dysenteria esse affectum; nimia proinde curiositas tibi morbum paravit: sed nonne unquam in mentem tibi venit, te, cum de morbi natura certus esses, ipsum morbum iam contraxisse, quem moderando curiositati evitare potuisses?

Aeger: Te quidem non intelligo, id vero probe scio, me a dysenteria immunem adversus dysenteriam non potuisse quaerere auxilium.

Hac ratione multoties cum pauperibus et stupidis disputavi, exempla, similitudines aliaque adiumenta adhibui. Alii viri honesti, propria experientia edocti, eos perinde diligenter admonuere; incassum tamen, nam eadem semper oberrant chorda. Si itaque contendo, om-

nes incolas loci alicuius, in quo dysenteria caput extu-tulit, a lue formata posse vindicari et proinde servari, nihilo tamen minus non contendo, omnes in nostro op-pido fuisse servatos; quid? quod persuasissimum mihi est, nunquam in posterum quoque, neque in quovis alio loco, omnes incolas servatum iri. Pro morbi natura id fieri potest, perversitas vero et stupiditas hominum obstat.

Ultima lues, quae quam maximam aedium partem ingressa est, triginta sex homines orco dedit. Sed (quod probe notandum) in hoc numero quatuor tantum vel quin-que (id mihi non certo constat,) ex tribu medioxima fuere, qui proprio sumtu medicinam sibi compararunt; reliqui ex infima, vel publico sumtu erant curati, vel naturae commissi. In numero eorum, qui proprio sumtu medicinam comparaverunt, duae erant mulieres septua-genariae, quae minus attentae tunc demum me invoca-verant, cum lues iam formata esset. Tertia erat puella quatuordecim annorum, ad quam tertio morbi die ac-cesseram. Quartus vero iudaeus, qui, etsi mature satis opem meam implorabat, avaritiae tamen moderari noluit; circumcursabat enim per vicos mercaturam faciens, omni-busque coeli iniuriis se exponebat. Multoties eum prae-monui, frustra tamen; die decimo tandem luem forma-tam contraxit, et nono dehinc exstinctus est.

Cum vero satis notum sit, dysenteriam divites perinde ac pauperes infestare, ex illa mortalitatis ratione, quae ultima lue hic grassante inter pauperes et medioximos intercessit (procerum enim nemo mortuus est) lucide ap-paret, dysenteriam suapte natura tot sacrificia non exi-

gere. Optima quoque fide deiero, neminem mature (id est ante formatum morbum) auxilium meum implorantem, luem contraxisse. Fortasse quis crediderit, me tantam operam pauperibus non navasse ac medioximis et proceribus. Huic respondeo: Si ipsa moralitas me non constrinxisset pauperibus festinanter subvenire, propria tamen commoditas ad officium me compellere debuisset. Longe enim facilius est, luem supprimere, quam formatam sanare. Luem vero, quam supprimere neglexissem, deinde formatam curare debuissem, siquidem ego tunc temporis unicus in hoc oppido eram medicus. Negligendo proinde suppressionem, mihimet ipse maximam creassem molestiam, et fortasse nemo aeque vesanum me habebit. Maximus quoque eorum numerus, qui exstincti sunt, opem meam nequidem imploravere; multi enim (quod supra monui) medicinam omnino respuunt; alii quandoque me appellant, si vehementissima tormina urgent, quibus moderatis denuo naturae se committunt; alii demum me casam transeuntem, tantum praedictionis causa invocant, auxilium habere nolunt, sed scire tantum gestiunt, an aeger sit moriturus.

Omnes commoneo, ut auxilium adhibeant, neminem tamen duris verbis ad id compello, quia probe scio, me eo nihil profecturum. Hanc viam legens subinde tales inviso, qui omnem medicinam detrectant, amici personam capio, confabulor, quandoque promtum aliquod domesticum auxilium suadeo, futuraque auguro. Hac ratione, cum perversi et obstinati illi, ex mea arte fructum capere nolunt, ego saltem ex eorum perversitate praestantissimum fructum capere non detrecto. Nemo

enim neque morbum grassantem, neque medicamentorum effectum rite observare potest, nisi quoque morbum nullo medicamento mutatum vel turbatum observet. Hanc cautelam inclytus Boerhaave de morbis epidemiis disserens medicis olim inculcavit. Et profecto, quisquis hanc cautelam temere negligit, subinde notas quasdam obortas medicamento tribuet, quae tamen ex ipso morbo pullulant, et morbo vicissim notas tribuet, quae a medicamento proveniunt. Artifex vero, qui stupidos et medicinam respuentes, vi et duris verbis ad capiendam medicinam compellere satagit, non solum nihil eo perficiet, sed insuper sibi ipse optimam observandi naturam recidet occasionem; inconditus enim grex talem vexatorem aeque atque anguem fugit.

Postquam suppressionis praerogativas explanavimus et una ostendimus, eam vincendis variis obstaculis externis esse imparem, ad ipsam suppressionis descriptionem et cautelas transeamus.

Capite I. dixi, dysenteriae initium esse triplex. Aliquos subito invadit absque praegressis notis; in illis suppressio locum habere nequit. Raro tamen morbus hac ratione hominibus obrepit; atque qui ita aegrotasse contendunt, plerumque inconditi et stupidi, nisi morbus eos omnino prostraverit, ad valetudinem suam non attendunt. Homines educatione quodam modo formati, vel tantum sana ratione pollentes, mihi potius semper confessi sunt, se ante obortum morbum varia incommoda sensisse. (*)

(*) *F. Hoffmann*, qui plures morbos populares observaverat, inquit: „Qui hoc malo corripiuntur, ante plenariam illius erup-

Capite I. tale morbi initium de industria tamen notavi, ne is qui ipse dysenteriam curasset, vel olim curaturus esset, negligentiam meam accusare posset; ceteroquin in censum istuc vix ducendum videtur.

Fere semper ante formatam luem quaedam notae oriuntur, quarum omnium commune, aliter se corpus habere atque consuevit. Ubi proinde aliquis taedia capite primo descripta animadvertit, tutissimum est, non cunctari, non exspectare, sed illico ad opium tanquam ad sacram ancoram confugere. Eo vero casu, quo alvi fluor nondum supervenit, cardo suppressionis est, iustum in propinando opio observare temperamentum. Si nimis magnam quantitatem dederis, oritur vomitus, si iusto minorem, alvi fluor supervenit. Quo graviora sunt taedia praecursoria, eo maiorem oportet adhibeas opii quantitatem. Duplex est suppressionis modus. Ubi quis obortis torminibus (quae interdum ex improviso incidunt,) extemplo auxilium quaerit, optimum est, guttas quindecim vel viginti quinque tincturae opii, habita ratione constitutionis,

---

» tionem diu de corporis lassitudine, ventre tumido ac molestis » quibusdam in eo motibus conqueri animadvertuntur. «

Zimmermann contra: » Viele wurden ohne das geringste vor- » hergegangene Zeichen angegriffen, hauptsächlich in schweren » Fällen. « Zimmermann vero luem potissimum inter rusticos observans vix certus de hac re esse potuit Quod optimo iure notat *Matthäi*, dicens: » Auf den Ausspruch des Landmanns darf » man sich in diesem Stück nicht verlassen; er hat viel zu rohe » Begriffe von krank seyn, als dass er einen solchen Zustand von » Unbehaglichkeit bemerken sollte. « Quandoque tamen dysenteriam subito invadere testatur *T. Willis*, in descriptione dysenteriae Londinensis anni 1670.

simul propinare. Hac ratione morbus subinde protinus suffocatur. Tutum vero est, vesperi eiusdem diei similem portionem secunda vice propinare, et Theae infusum superdare, deinde aegrum stragulis operire, ut modice desudet. Eadem est curatio, ubi aliquis citra gravia tormina subito sensum aliquem alienum, ac si medicamentum purgans devorasset, in ventre animadvertit, ita ut fere momentum indicare possit, quo illud taedium eum prehenderit.

Alia autem est suppressio, ubi talia incommoda paulatim inserpsere. Subinde enim tam insidiose hominibus obrepunt, ut nemo eorum initium indicare possit. Plerumque vel cibus vel potus assumtus inculpatur; elapso die uno alterove, morbi demum suspicio oritur, et medicus imploratur. Hoc casu magnae opii quantitates simul datae, parum conducunt; istuc enim incommodum, quia diutius tenuit, subito suffocari nequit, quare tutius est, parvis crebriusque repetitis portionibus suppressionem moliri. Pro ratione incommodi, minores maioresve oportet dare portiones. Subinde duae guttae singula hora sufficiunt, quandoque una, interdum duae vel tres requiruntur. Ubi sensus incommodi evanescit, oportet minuere quantitatem, et (quod interdum salutare est) longiora intervalla interponere.

Noctu aegro medicinae vacatio commode conceditur, hoc tamen pacto, ut tincturae aliquot portiones cum aqua mixtae, in abaco positae sibi sint ad manus, quo resurgente sensu ingrato, ad id auxilium confugere queat. — Ubi vero bene dormivit, oportet multo mane unam por-

tionem in lecto capiat. Una deiectio, modo stercus non sit liquidum, hoc casu quidem non est timenda; melius tamen est, ut duobus diebus omnino non desideat, tunc enim certo omne incommodum evanescet.

Quandoque, ubi aeger ante morbum fortiter cibum assumsit, prima deiectio, quae compressam alvum insequitur, descendente stercore duro sub magnis doloribus peragitur. Id vero timendum non est, imo post talem deiectionem opium protinus dare non convenit. Oportet potius pauxillisper cunctari, quia plerumque secunda deiectio, primam insequitur. Deinde intestino ab excrementorum pondere liberato, tinctura opii commode propinatur; quid? quod subinde post talem excrementorum expulsionem, data unica opii portione, dysenteria ex toto suppressa est.

Interdum vero post primam foriorum expulsionem dolor ani et tenesmus oritur. Hoc casu iuvat oleum tepidum in anum indere, et hac ratione excrementorum descensum secundare, deinde opium superdare.

Opium propinari debet, quoad necesse est, id est, donec dysenteria utique suppressa sit. Signa dysenteriae suppressae, tum stercus, tum ipsa excernendi actio suppeditant. Casibus modo memoratis, stercus non est liquidum, neque cruore vel muco mixtum; interdum tantum foria muco pellucido sunt obducta. Color vero plerumque est mutatus, subinde albus, vel cinereus, vel ex flavo cinereus. Quoad stercus hoc colore est tinctum, aeger nondum est in vado, et quanquam reliquae etiam notae opii usurpationem ulteriorem non suadeant, oportet tamen id adhibere, (etsi minimis portionibus) donec foriorum

color sit naturali similis. Qui secus agit, opiumque ex toto temere seponit, reliqua taedia vix victa denuo resurgere videbit. Dysenteriam suppressam ipsa quoque deiiciendi actio designat, quam cum neque antecedit, neque insequitur sensus incommodi in ventre, valetudo perfecte est restituta, qualiter id capite IV. de curatione disserens explanavi.

Multoties vero dysenteriam praecurrit alvus liquida vel ex perfrictione vel ex ingestis nocivis, vel medicamentis purgantibus, vel demum ex aliis causis contracta. Hoc casu iterum aliam oportet legere viam. Non sufficit opium aliquoties de die dare, sed oportet potius id eadem ratione propinare, ac si vera et formata dysenteria adsit. Subinde diarrhoea illico sistitur, subinde contra satis pertinax est. Ubi pertinacior videtur, id est, ubi aeger sub ipsa opii usurpatione crebrius deiicit, tutum est, noctu medicinam non intercapedinare, sed indesinenter eam dare, donec alvus sit compressa. Periculum est in mora, ne diarrhoea ex improviso in veram dysenteriam transeat. Si proinde potio illa, quae guttas centum tincturae opii continet, (Cap. IV.) ad sistendum fluorem non sufficit, tutius est quantitatem festinanter augere. Eo enim stadio induciae a natura extorqueri possunt, producto vero tempore subinde est perniciosum, impetum aliquem facere, quemadmodum id capite VI. explanavi.

Admodum raro tamen necesse erit (mihi nunquam accidit) istam quantitatem augere; plerumque primo die alvus comprimitur. Induciis factis, oportet omnes cautelas observare, quas capite IV. proposui. Uti enim per-

fecta et cita curatio non ab opio solum, sed a quantitatis temperamento potissimum pendet, ita quoque perfecta suppressio eandem moderationem deposcit, quam proinde capite IV. prolixe satis explicatam ulterius describere supersedeo.

Accidentiae, quas medicus suppressionem tentaturus pensi habere debet, tales fere sunt.

Tenesmus quandoque a stercore duro oritur et oleo iniecto levatur, qualiter id modo monui. Utrum vero stercus sit durum, diiudicatur ex tempore, quo alvus fuit compressa, vel ex ipsis foriis ante obortum tenesmum deiectis. Subinde vero, ubi diarrhoea ab irritatione intestini recti potissimum est profecta, et intestina tenuia consensu tantum nervorum ad motum nimium stimulata, dato opio intestinum tenue prius tranquillatur, quo fit, ut actio fibrarum intestini recti deinde praeponderet. Hoc itaque casu, cohibito fluore, stercore tamen nondum coacto, sed tenui adhuc, tenesmus cum cruoris et muci deiectione ex improviso oriri potest. Eo tamen terreri non convenit, siquidem haec accidentia iniecto opio protinus evanescit. Singula talis deiectio mucosa cruenta a dysenteria formata differt. Cum enim stadium praecursorium in statum luis formatae transit, notae praecursoriae in horam fuerunt auctae; singulam vero talem deiectionem cruentam innocuam, notae praecursoriae auctae non praecessere, quippe quae ante talem passionem vel evidenter imminutae, vel omnino nullae fuere. Unde non difficile est, transitum in luem formatam a singula tali innoxia deiectione, irritatione tantum intestini recti orta discernere.

De torminibus non est, quod multum disseram. Medicus dysenteriam suppressurus eandem medendi rationem adhibeat, quam capite V. proposui. Unum tantum monendum habeo. Quandoque accidit, sed perquam raro, ut intestina doleant, et una musculi abdominales. Talis casus difficilis est cognitu; bis tantum eum observavi. In altero aegro dextrum latus ventris, in altero sinistrum occupabat. A dolore intestinorum distinguitur dolor musculorum, quod hic ad dextrum vel sinistrum femur vagatur, et moto femine, magis minusve augetur, non vero ante deiectionem, quemadmodum id in intestinorum dolore consuevit. Morbum vero intestini primo pensi habere debet medicus, quippe qui in dysenteriam transire possit. Dolorem musculorum imposito emplastro ex cantharidibus fugavi; an vero id semper praesentissimum sit auxilium, nescio, quoniam bis tantum id adhibendi mihi fuit facultas.

Tandem aciditatem intestinorum respicere debet medicus; uti enim haec curationis est obstaculum, ita non minus suppressioni obstat. Est vero aciditas vel forinsecus ingesta, vel intrinsecus nata; utraque cognoscitur ex circumstantia praeteritae vitae recordabili, atque ex notis praesentibus, qualiter id capite V. explanavi. Quandoque tormina eo aucta, opio nihil moderantur. Ultima adhuc lue ad virum honestum noctu vocabar, qui vehementissimis doloribus vexatus, tincturam opii a chirurgo acceptam assumserat. Audiens, se magnam potus acidi quantitatem aliquot dies bibisse, dabam ipsi sal lixivium opio mixtum, et hac ratione eadem nocte tormina ita moderabam, ut vir tertio dehinc die ab omni sensu in-

commodi et febre liberatus officiis suis fungi posset. Sed alvi quoque fluor acido augetur, et pertinacissimus redditur, quare consultius est, hoc casu conchas praeparatas vel assam foetidam cum opio iungere. Istuc non semel, sed subinde expertus sum. Ante aliquot annos matronam mihi coniunctissimam, quae in loco aliquo, octo milliaribus a nostro oppido distante habitat, hac ratione sospitavi. Cum nempe in illo loco dysenteria multos orco dedisset, matrona diarrhoeam torminalem aliaque taedia animadvertens, opem medici vicini implorat. Hic magnam lagenam pharmacis purgantibus refertam mittit, simulque praecipit, ut descendente etiam cruore et muco, aegra hanc potionem indesinenter capiat. Amicus quidem meus matronae cognatus, qui meam suppressionis methodum subinde viderat, et approbaverat, catus satis tenet, matronam istam septuagenariam, debiliorem esse quam quae formatam dysenteriam possit sustinere. In qua re non allucinatus est, siquidem non simile solum vero, sed certum est, formatum morbum istam mulierem absumturum fuisse. Medicamenta purgantia in latrinam itaque proiecit amicus, aegraeque tincturam opii ratione olim a me accepta propinavit. Alvi fluor eo moderatur, sed alvus non ex toto supprimitur. Dubitat amicus, dysenteriam eo loco grassantem diversae esse naturae, litteras proinde cum nuntio mihi mittit. Ego illico ad aegram advolo, et illuc veniens audio, eam aciditati ventriculi maxime molestae semper fuisse obnoxiam, imo ructus acidos et aestum ventriculi modo eam tentare. Stercus non admodum liquidum erat, sed coloris cinerei; alvus opio moderata semel de die reddebatur praeceden-

te sensu torminali et ingrato. Res in eodem statu iam octo dies haeserat. Omnibus circumstantiis percunctatis palam erat, aciditatem intestinorum diarrhoeam reddere pertinacem. Dabam proinde conchas praeparatas, mihi modo ad manus, larga satis quantitate, et deinde assam foetidam, interpositis parvis opii portionibus. Hoc auxilio aegram cito a diarrhoea et febre inde orta liberavi, unaque animum suum praeceptis primi medici perterritum tranquillavi. Plures casus narrare supersedeo, ne scilicet hic libellus in magnum excrescat volumen.

At medicamenta omnem non absolvunt numerum: vitae ratio apta oportet his accedat. In universum ad suppressionem iuvat regimen, quod capite IV. descripsi. Ubi aeger est debilis et intestini irritabilitas magna, tutissimum est, protinus ad lectum eum relegare; ubi vero robustus est, saltem in cubiculo maneat, vestimentis probe tectus. Neque alienum est, coelo frigido igniculum accendere, calor enim his corporibus maxime est sospitalis. Abstineat aeger ab omni cibo valido et inflante; iusculo utatur ex carne, dein carne assa, abstemius in totam hebdomadem. Omnia quoque animum exasperatura, suae notitiae subtrahenda sunt. Cunctis his religiose observatis dysenteria tuto supprimitur.

Non diffiteor tamen, multos his cautelis parum observatis ab imminente dysenteria solo opio perfecte liberari; imo concedo libenter, vitae rationem incongruam, suppressioni non tantum obstare atque curationi. Nihilo tamen minus iuniores collegas praemoneo, ne ex felici successu in variis corporibus observato, universalem nimis deducant consequentiam. Multoties enim neglectis

cautelis supra positis, solum opium nihil proficiet; quare consultius omnino videtur, in re seria, ubi non de valetudine solum, sed subinde de vita agitur, nimia cura quam negligentia peccare; nam illa commoditatem fortasse imaginariam aegro detrahit, haec quandoque ipsam vitam demit.

Absolutis cautelis et expositis suppressionis praerogativis, officium nostrum postulat, incommoditates describere, quas hoc auxilium affert. Multi quidem auctores aliam viam legunt; extollunt auxilii alicuius praerogativas maximis laudibus, incommoda vero, quae inde proveniunt, cauti celant; quo fit, ut inexpertus tale auxilium adhibens, obortis quibusdam taediis, id non ac inutile solum vilipendat, sed etiam scriptorem ac mendacem contemnat. Ne proinde eandem mendacii damnationem mereamur, enarremus religiose omnia suppressionis taedia usquequaque observata.

Primo, arteriarum pulsus, stadio praecursorio parum subinde a naturali numero diversus, assumto opio fit frequentior; inde sensus incommodi in universo corpore, et somnus incertus.

Cibi cupiditas, quae ante assumtum opium precario viguit, nunc omnino evanescit.

Quandoque urinae secretio quodam modo impeditur.

Interdum animus aegri marcet, et debilitatis sensum lamentatur.

Omnia tamen ista taedia, quae alios levius, alios gravius, multos omnino non infestant, magni non sunt momenti, suppresso enim morbo sponte evanescunt.

Forsitan quis dixerit: Officium est medici, homines a praesente noxa liberare, nova vero taedia eis consciscere honesti non est artificis. Huic respondeo: Subinde utique religio est, medendo alicui nova mala parare; sed quaeso, quales sunt casus, in quibus talis curatio crimen habetur? Sunt nimirum, in quibus futilis tantum theoria suadet, novarum noxarum procreationem ad aegri salutem conducere, castaque experientia tale auxilium non obsignavit. Sunt, qui in febris putridae vel nervicae stadio praecursorio alvum aegro probe purgent, et valetudine sub ipsis eorum oculis in peius ruente, sibi tamen persuadeant, aegrum tali infausto auxilio optime servatum iri.. Tali casu non genuina experientia, sed spuria, atque perversa theoria artifices seducit. At si casta experientia docet, omnes suscipiendo leve quoddam incommodum a morbo gravi et mortifero posse vindicari, tunc hercules officium est medicatoris, ista incommoda eis facere. Chirurgi eadem saltem sequuntur principia. Exstirpant tumorem parum dolentem, aegrum vexant vario modo, febremque ei consciscunt, et non solum non plectuntur, sed laudantur potius.

Iterum quis dixerit: Omnes, qui notas dysenteriae praecursorias animadvertunt, dysenteriam formatam non contrahunt; evanescunt interdum sponte istae notae: nonnulli proinde suppressione usquequaque adhibita, citra necessitatem divexantur. Repono: Notae praecursoriae non sunt absolute certae. Ex hac thesi sequitur, nonnullos homines obortis istis notis luem contrahere, alios vero non. Stadio itaque praecursorio dici nequitur, utrum aliquis luem sit contracturus. Distinguendi ergo et diiu-

dicandi non datur facultas, utrum in aliquo casu suppressio sit supervacua an summe necessaria. Duplex itaque agendi modus cogitari potest: vel suppressio in omnibus corporibus, in quibus notae praecursoriae apparent, usquequaque adhibetur, vel suppressio in universum non adhibetur; tertius enim agendi modus in praesente prognosticorum incertitudine cogitari nequit. Ubi primam agendi rationem sequimur, quibusdam levia incommoda citra necessitatem paramus, ut aliis vitam conservemus; ubi vero insequentem agendi rationem observamus, quosdam mori sinimus, ut alii levia quaedam incommoda evitent. Cum vero officium medici sit, quam maximum hominum numerum sospitare, sequitur, perinde officium suum esse, in praesenti prognosticorum incertitudine, quibusdam hominibus citra necessitatem levia incommoda creare, ut in universum omnes serventur. — Medici insitionem variolarum maximis extollentes laudibus, eadem principia secuti sunt. Non omnes homines variolas naturales contrahunt. Quoniam vero incertum est, utrum corpus opportunitate ad hunc morbum careat, medicis tutius visum est, quibusdam citra necessitatem levem morbum parare, ut in universum omnes a gravi et mortifero sospitarentur.

Quaestionem, utrum suppressio sordes materiasque acres, valetudini insidias parantes in intestinis retineat, dirimere supersedeo, quia de hac materia satis disputavimus. Materia acris ipsa dysenterica irritatione generatur; si proinde ista irritatio protinus componitur, ipsa materiae acris generatio praecavetur. Id adspectus saltem docet, nam stadio praecursorio stercus parum a naturali discrepat, et composita intestini irritatione, utique naturale et sanorum

simile fit. Ceteroquin omnes, quibus ego dysenteriam suppressi (et horum numerus profecto non est exiguus) optima in hunc usque diem fruuntur sanitate.

Supra dixi, dysenteriam perfecte sanatam recidivam non facere. Id vero de dysenteria suppressa praedicari nequit; quibus enim suppressa est, hi eodem autumno huic morbo aeque obnoxii sunt ac alii, qui utique immunes mansere.

Tandem iuniores collegas praemoneo, ne improvidi suppressionem tentent. Cum insidioso hoste eis faciendum est; quare maximam oportet impendant curam et attentionem. Hoc solum pacto metam feliciter attingent.

Ex mea quidem sententia suppressio est praestantissimum auxilium ad moderandam in loco aliquo luis ferociam. Quo magis morbus in corpore aliquo olescit, eo maior generatur veneni animalis copia, eoque maius est contagionis periculum. Suppressio hoc periculum multum minuit; imo nullus dubito, quin iste morbus ex loco aliquo fugari possit, si omnes homines satis rationales stadio praecursorio auxilium quaerant. Modo quidem id propter pauperum stupiditatem, ignaviam et levitatem fieri nequit. Sufficit tamen nosse auxilium, cuius ope omnes servari possint, qui servari velint. Quomodo nolentes etiam servari queant, nescio.

Ego supprimendo dysenteriam, favente summo numine eo perveni, ut civibus nostris omnem timorem excusserim. Experientia edocti probe sciunt, luem neminem invitum infestare. Grassante dysenteria, quantum id fieri potuit, in oppido mansi, et extraneos opem meam implorantes, mihi parum coniunctos, ad alios medicos potius delegavi, quo eo melius excubare, et incendium nusquam non erumpens suffocare possem. Plurimi cives consilium meum religiose secuti sunt; intellexere enim, me communis salutis, non lucri causa talem operam suscipere. Ex suppressione enim, quae uno die, vel biduo, aut triduo

subinde peragitur, medico lucrum excrescere nequit; siquidem ab unico aegro ſormata lue affecto, maiorem argenti summam vincet, quam a viginti suppressionem exigentibus. Familias allegare, quas tali ratione a lue vindicavi, supervacuum duco, siquidem ab omnibus procerum et medioximorum (his exceptis tantum quibusdam) aedibus, morbum feliciter averruncavi. Singularem vero supprimendi methodum secutus est Franciscus Funck, huiusce oppidi negotiator. Erioxilon hic machinarum ope neri facit, cui operi puellae et pueri variae aetatis inserviunt. Timebat negotiator, ne dysenteria officinam suam desolaret; quo id praecaveret, iuventutis nomina tabulae in pariete suspensae inscripsit, et officinatorem obstrinxit, ut, quotiescunque aliquis cacatum exivisset, hunc in tabula notaret. Quisquis deinde iusto crebrius deiecerat, is, habita ratione aetatis, tincturam opii devorare cogebatur. Tabula ista foricaria primo ridiculosa mihi videbatur; deinde vero negotiator maximam eius utilitatem mihi explicavit. Omnes enim pueros et puellas, etsi passim in parentum casis dysenteria esset, a morbo vindicaverat, exceptis duobus, qui ei a manu, hinc illinc in oppido circumcursantes, prout negotia id postulaverant, curiosae spectioni non fuerant subiecti.

Unam tamen cautelam huic capiti adhuc subiungam. Quandoque infantes tenerioris aetatis, aciditati intestinorum obnoxii, obortis intestinorum turbis dysenteriam minitantibus, maximam acrimoniam contrahunt. Parentes minus attenti, vel huiusmodi nihil suspicantes, id utique non animadvertunt, donec horribiles convulsiones erumpunt. Bis tali casu in auxilium vocatus, sospitale mihi visum est, acrimoniam ingesta larga olei recentis quantitate, et interpositis absorbentibus, festinanter subducere. Deinde alvi fluorem ratione descripta sedavi. Talis vero curatio quodam modo taediosa est; oleum enim, etsi parum irritat, et acrimoniam potenter obtundit, motum tamen in-

testinorum deorsum versus augendo, et eliminando materiam irritantem, alvi fluorem perinde ac alia purgantia difficilem compressu reddere potest, quod quidem in altero illorum infantium expertus sum. Stercus enim tenerrimum, muco et quandoque cruore mixtum deiecit, et quatuordecim dies traxit. Morbum graviorem non esse factum, id aptae quidem curationi, ex parte tamen fortunae adscribendum puto. Sed qualis alia via tali casu legenda fuisset, nescio. In hoc infante causa materialis convulsionum manifesta erat, nam ex eadem causa idem taedium plus vice simplici contraxerat, et modo notae evidentes eandem causam designabant; ergo vesanum utique fuisset consilium, eam non removere. Opium quidem hoc casu extemplo datum, neque viscerum obstructiones, neque hydropem, neque artuum dolores facturum fuisset; sed nervorum tensiones auctae, et inde mors timenda erat. Hic casus neutiquam est mirabilis, hunc tamen locum teneat, ut minus experti intelligant, omnem regulam quandoque admittere exceptiones, nihilque in medicina utique esse perpetuum.

EPILOGUS.

In praecedentibus dysenteriae descriptionem, curationem et suppressionem vobis, collegae! proposui. Omnibus observationibus, cautelis, et difficultatibus pro virili traditis, dirimenda venit quaestio, utrum dysenteriae natura sit semper una eademque. Alii scriptores, et hi quidem non obscuri, de luis diversitate lectorem praemonuere, ne iuniores vel minus experti curationem propositam, felicique successu in quibusdam morbis epidemiis adhibitum, caeco consilio usquequaque imitarentur.

Constitueram et ego prolixius de luis diversitate disserere; magnae vero difficultates, quas huic disquisitioni incumbendo reperi, me utique a tali disputatione deterruere. Cum enim neque ego omnes luis diversitates ipse viderim, neque alius quisquam,

ex monumentis medicorum eas eruere necesse est. Id vero dupliciter fieri potest:

I. Vel allegando tantum varia auctorum loca, nulla habita ratione, utrum auctores fide sint digni, an non. Sufficit hoc casu, a plurimis medicis, etiam ab iis, qui illorum scripta ne quidem legerunt, fide digni habeantur.

II. Vel dysenteriae diversitas eruitur allegando varia auctorum loca, diiudicatis tamen prius auctoribus, iisque probe trutinatis, utrum fide sint digni, nullo habito respectu vel eorum celebritatis, vel communis opinionis.

Prima via est brevissima et idcirco admodum calcata, ex mea tamen sententia, néminem unquam ad veritatem perduxit. Si enim dico: Degner dysenteriam biliosam observavit, Zimmermann biliosam putridam, Stoll rheumaticam, Consbruch putridam, Sydenham inflammatoriam; tunc, transscriptis multis auctorum locis, ne hilum ad stabiliendam luis diversitatem tribuero. Bona quidem pars artificum in sententiam scriptoris alicuius caeci eunt, eius opiniones, eius experimenta non diiudicant; sufficit titulo magnifico sit ornatus. Quis autem est sana ratione praeditus, qui non videat, varios auctores tum hypothesibus et theoriis fuisse obcaecatos, tum praeiudiciis sui aevi vinctos? Hac ratione curationes quandoque in imaginoso suo cerebro potius quam in morbi natura sitas nobis proposuerunt.

Altera via est admodum salebrosa. De luis nempe diversitate disputaturus, variis auctoris alicuius locis curate comparatis videre debet, utrum vana tantum theoria morbi naturam et curationem artificem docuerit, utrum asserta contra vulgarem experientiam pugnantia protulerit, utrum opii effectum rite exploratum et cognitum habuerit Neque sufficit id tantum legisse, quod de dysenteria scripsit, oportet quoque reliquos suos libros (modo tales ediderit) diligenter perscrutari, siquidem hoc demum pacto elucescet, cuiusnam sit indolis, utrum praeiudiciis infatuatus, imaginosus et proinde levifidus, an fide dignus.

Varios ego scriptores, methodi saltem foricariae antistites hac ratione examinavi; sed vobis deiero, collegae! me loco auri obryzi subinde scoriam invenisse. Si vero scire cupiatis, quare

in hoc opere non parum profectus, nihil huiusmodi vobis proponere velim, quaeso audiatis meas rationes.

I. Talis disputatio non nisi transscribendo multa auctorum loca fieri potest; hac ratione limites huiusce libelli medicinam facientibus destinati ultra modum cum taedio multorum lectorum essem prolaturus.

II. Quisque vestrum, perinde ac ego unumquemque auctorem examinare poterit, modo cum attentione eum legat, praecipuaque momenta in adversaria transscribat. Inspectis deinde adversariis mediocre tantum erit artificium, ista loca diiudicare, invicem comparare, et expiscari, utrum auctor fide sit dignus, vel levifidus.

III. Tertia ratio, quae potissimum a tali disputatione me deterruit, est fere talis.

Examinando et trutinando auctores, ridiculae subinde collationes oriuntur; quid? quod, omnia rite et candide diiudicando, suoque nomine sine ambagibus insigniendo, vitilitigatoris speciem protinus habebis. Si mortuos tantum velis ponderare, dixerit aliquis: id esse factum, quod contradictio non sit timenda: si viventes; nasutus et inurbanus esto; quare tutius est, a tali disputatione utique abstinere. Sacrilegium mihi quidem non videtur, funambulum medicinalem data occasione vexare, viros autem graves et bene meritos non temere obtrectarim, qui si in aliquo momento allucinantur, ego in multis aliis peius fortasse allucinor.

Quanquam autem de luis diversitate prolixius disputare ipsius rei iniquitas vetat, nihilo tamen minus iuniores collegas rogatos et praemonitos volo, ne sibi persuadeant, dysenteriam solo opio usquequaque posse sanari. Mihi duntaxat persuasissimum est, alia auxilia quandoque esse salutaria, imo opio antehabenda. Hac mea sententia siccis, non ambiguis verbis pronunciata, nemo mihi unquam obiiciet, me iuniores et minus peritos, promulgando internecinam curationem, seduxisse.

